DE
[illegible]IDIS STVDIO AEQVABILITATIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVII MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXVII

PVBLICE DEFENDET

IVLIVS CZWALINA

GEDANENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

OTTO LVEDERS
ERNESTVS DROYSEN
FRIDERICVS MATZ

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

[1867]

OTTONI IAHN

HERMANNO USENER

PIETATIS ERGO

De aequabilitatis studio a poetis tragicis in diverbia componenda collato quaestionem valde esse lubricam, non neganti mihi videtur exponendum, et quomodo omnino animum huc intenderim, et cur perspectis difficultatibus ab tractando non destiterim. Nec primo quidem consilio eo, ut in responsiones versuum inquirerem, ad tragoedias sum aggressus; sed inter seminarii nostri exercitationes luculento exemplo hanc artem edoctus, cum in Helena Euripidea paulo accuratius tractanda versarer, inscius in plura eiusmodi exempla incidi; tum demum his vestigiis acrius insistens dedita opera de re quaerere coepi. Quo factum est, ut, priusquam quanta hominum doctorum esset dissensio, cognoscerem, iudicium mihi meum satis staret; quod quidem in re gravissima, responsionum fines secundum sententiarum conexum esse statuendos, consentire intellexi cum Weilio v. d. Ac quantum valeat sententia non ad breviorum modo membrorum aequabilitatem, verum etiam in maioribus fabularum partibus, probaturum me sperans hac spe magis impellor, quam difficultatibus deterreor. Cum vero ne Hirzelius quidem [1]), excellentissimus in has leges inquisitor, tantum tribuat sententiis momenti, quantum necessarium esse duxerim, neque metuo, ne opera mea prorsus inutilis futura sit, et fundamento in Euripide ab illo iacto egregio iure meo utar, ut aedificium altius exstruere coner. At quia cum de natura responsionum valde ambigitur, tum homines docti sunt, qui omnino artem hanc esse ullam negent, primum demonstran-

1) Henricus Hirzel: De Euripidis in componendis diverbiis arte. Lipsiae 1862.

dum mihi erit, omnino haec studia aliter persequi nos non posse, nisi sententias respicientes, tum maiorum partium aequabilitate, quae ampliore complexu sententiarum efficiatur, istam de fortuita origine opinionem refelli; quod certis exemplis probare posteaquam conati sumus, nonnulla incertiora critica ratione tractanda subiciemus.

I.

Ex veterum de artificiosa versuum dispositione iudiciis unum specimen a Polluce nobis traditum, cum nihil nos doceat, nisi alternorum versuum vices appellatas fuisse stichomythiam, (Poll. On. IV. 113 *στιχομυθεῖν δὲ ἔλεγον τὸ παρ' ἓν ἰαμβεῖον ἀντιλέγειν, καὶ τὸ πρᾶγμα στιχομυθίαν*) ad responsionum universum genus parum pertinet. Referendus autem vix minore iure huc videtur alter locus, qui est de mira quadam auctoritate in partibus fabularum definiendis tributa numeris, quo de loco aptius sub finem disputatiunculae disseretur.

Sed quanto aequabilitatis et concinnitatis studio Graeci cum ceteras artes tum poesin excoluissent, homines docti recentiores magis magisque perspicientes fieri non potuit, quin diverbia quoque fabularum artificiose facta animadverterent. Nempe oculis occurrebant stichomythicae partes, saepius institutae ea loquendi ratione quae dicitur *ἀντιλαβή*, occurrebat longior binorum versuum alternantium series, neque in trimetris cum lyricis fabularum partibus coniunctis severiores compositionis leges latebant; in quae responsionum genera post Hermanni brevissima de his rebus iudicia (in Elem. doctr. metr. l. III c. XX) exemplis ex Aeschylo, Sophocle, Euripide petitis inquisivit Heilandus [1]). Nec non ad criticas quaestiones pertinere has aequabilitatis leges iam ante Heilandum probaverat H. Sauppius aequabilem qua

---

1) Scholae Stendaliensis lectionibus v. d. praemisit a. 1855 »Metrische Beobachtungen.«

compositi essent Arist. Equitum versus 242—83 structuram in epistola critica p. 116 demonstrans, quae uno loco turbata indicaret ante v. 274 versum intercidisse [1]).

Tum vero Ritschelius ingeniosa opinione de Aeschyli fabulae Thebanae episodio secundo in medium prolata [2]), quaestionem non modo in novum statum adduxit, sed propter ardorem aut obtrectandi aut aemulandi animis iniectum omnino existimandus est horum studiorum auctor. Qui locus Aeschyleus cum temporum iniuria non magis quam libidine interpolatorum depravatus sit, diversa de restituenda aequabilitate Ritschelii, Gu. Dindorfii, H. Keckii, H. Weilii [3]) iudicia componere non est meum; id tantum agitur, ut qualis aequabilitas a Ritschelio reperta sit, cognoscamus. Atque ille quidem scaenae (Aesch. Sept. 375—676) artem arbitratur esse hanc, ut nuntii singulae de ducibus Argivorum orationes pari versuum numero constent atque quae de quoque Thebano Eteocles respondet. Quia igitur, ut exemplum eligamus certum, de ducibus altero loco nominatis et nuntius et Eteocles quinos denos versus pronuntient, exaequatos ostendens versus 422—36 = 437—451, respondendi rationem ponit in summa quadam versuum inter duos colloquentes aequabiliter distributa vel in personarum parem versuum numerum exhibentium vicibus. Nec quisquam negabit, cum utrum eiusmodi distributio fortuita sit an elaborata, alia quaestio sit, his vicibus contineri responsionem. At num his solis? — Quid? Orationes apud iudicem habitae tum demum sibi respondent, cum oratione aeque copiosa adversarius me refellit, an singulae causae quotquot protuleram, si totidem ab illo argumentis eadem diligentia refutantur, responsionem reddunt multo illustriorem? — Iam illud ipsum exemplum, quod supra attigimus, respiciamus [4]). Atque in

---

1) Conferas etiam Iac. Oeri: De responsionis apud Aristophanem rationibus atque generibus, Bonnae 1865. p. 21.

2) Publici iuris facta est in Fleckeiseni annal. philol. vol. 77 p. 761 sqq.

3) Multo plus quam ceteri inter se dissentit ab illis Weilius.

4) Et hoc et sequentia loci Aeschylei exempla postea cum ae-

nuntii oratione, quo loco ab ipso Capaneo ad insigne clipei describendum transitur, ibi a versibus decem praecedentibus (422—31) altera quinque versuum pars est secernenda (432—36), Eteoclis autem de minis inanibus neglegendis et ipse decem versus profert, quinque de Thebano addit (437—46. 447—51) quae distributio eo magis elaborata mihi videtur, quod nuntii verba de persona Capanei postrema

κεραυνίους βολάς | μεσημβρινοῖσι θάλπεσιν προσῄκασεν

eodem loco — uterque est autem versus decimus, — ab Eteocle ita respiciuntur, fulmen a Iove iactum iri:

οὐδὲν ἐξῃκασμένον | μεσημβρινοῖσι θάλπεσιν τοῖς ἡλίου.

Ex responsione ita mutata priusquam quid concludere audeamus, ceteri loci praestentne simile quid, videndum est. Ac primam nuntii narrationem cum responso conferentes, siquidem duo primi versus prooemii instar seiungendi sunt, et viginti versuum summam utrique tributam videmus (377—96 = 397—416), neque aliam a poeta dividendi rationem initam ac priore loco. Namque ut decem versibus de Tydeo dictis, inde ab undecimo descriptio signi, quale clipeo impressum sit, initium capit (377—86. 387—96), ita Eteoclis bis deni versus exstant primum ad hostem armis superbientem respicientis (397—406), tum Melanippum cum illo proeliaturum esse pronuntiantis (407—16). — Denique quartum sermonum par spectemus, quod propter criticae rationis dubitationem silentio praetermitterem, nisi excepto versu 500, quem C. Prienius damnavit, de vv. 515—20 iam ante perspectas aequabilitatis leges Dindorfii merito [1]) actum esset,

---

quabilitate a Weilio detecta comparavi. Consentientes autem prorsus de secundo et tertio sermonum pare, cuius eandem mihi in septenos et octonos versus distributionem notaveram, iudicium cum de primo, tum de quarto tulimus diversissimum. Neque vero a mea sententia possum decedere, quamquam fortasse primae narrationis membra 7. 7. 6. v. d. rectius statuerit, sed satis habeo illius de compositione opinionem oculis subicere:

Str. α. 20 (7. 7. 6) 20 (10. 10) Str. β. 15 (10 5) 15. (10. 5)
Antistr. β′ 15 (8. 7) 15 (8. 7) Antistr. α′ 20 (7. 7. 6) 20. (10. 10).

1) Guil. Dindorfii commentatio de Aeschyli Septem ad Thebas vss. in Philologi volumine XVI est inserta p. 212 — Ritschel. loco l. p. 769.

et homines illi docti etiam partium concinnitatem idque inscii revocassent. Respice igitur sententiarum nexum. Nuntius postquam de Hippomedonte portam prope ad templum Minervae Oncae sitam aggressuro per quinque versus verba fecit (486—90), terrorem, quem Typhonis imago clipeo insculpta iniciat, sex versibus exponit (—96), tribus (—99), quam terribilis dux sit ipse. Contra Eteocles: Minervam ipsam hostis impetum esse repulsuram, adversarium fore Hyperbium, Iovem ducis Thebani deum tutelarem Typhone alterius adiutore discessurum esse superiorem; quae tres sententiae cum per versus tres (501—3), sex (—509) quinque (—514) fiant, membra orationum aequalia esse quamvis inverso ordine $5 + 6 + 3 = 3 + 6 + 5$ apparet.

His igitur ex exemplis quid est quod efficiatur? Ac primum quidem perspicuum est, quo accuratius singulae partes sint exaequatae, et artem poetae esse eo maiorem, et eo facilius concentum ab eis qui audiverunt potuisse percipi. Tum vero angustioribus videntur finibus responsiones ei circumscribere, qui in solis loquentium vicibus positas putant, quippe quae ad partes orationum dignoscendas ac digerendas plane nihil valeant. Immo vero cum sententiis plurimum tribuendum esse iam constet, nescio an fieri possit, ut complexus sententiarum pari versuum numero contineantur etiam neglecta externa concinnitate. — At auctores [1]) alterius sententiae certissimis iudicii testibus utuntur trimetris cum chori carminibus coniunctis, qui fere omnes ita sint instituti, ut eadem eiusdem versuum numeri distributio recurrat. Ac concedo rem illic ita se habere, verum hoc oblivisci mihi videntur versuum illorum rationem propter id ipsum, quia chori canticis interpositi sint, satis esse diversam. Neque enim accuratissima compositio illic miri quid habet, neque eo improbatur aliis locis respondendi genus paulo minore diligentia institutum. Omnino autem personarum in sermone vicibus repetitis non ipsam respon-

---

1) B. Nake imprimis hoc argumento confidit in disputatione: Ueber Symmetrie im Bau der Dialoge griechischer Tragoedien, quae exstat in Nov. Mus. Rhen. volumine XVII.

sionem contineri, sed maiorem minoremve in respondendo artem hac argumentatione demonstrare conabor. In Soph. Oed. Col. 1447 (cf. Nake l. l. p. 511) quini trimetri chori carminibus circumclusi ter ita recurrunt, ut uno quoque loco quaestio Antigonae binis patris versibus cingatur; fac igitur distributionem versuum uno loco aliam fuisse, ut Oedipodi cunctos versus esse tributos, quamquam mirus versuum et sententiarum consensus fuisset mutatus, num responsio etiam quinorum versuum tolleretur? Cui ficto exemplo verum subiciam notum illud Aeschyleum ex fabula Thebana inde a v. 208 petitum (cf. Nake l. l. 512 et 513). Exstant inter singulas chori strophas et antistrophas, quarum tria paria repetuntur trini versus trimetri, qui cum ceteris omnibus locis ab Eteocle dicantur integri, inde a versu 216 hanc praebent speciem:

Ἐτ. πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.
Χο. οὔκουν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν; Ἐτ. ἀλλ' οὖν θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος.

quorum versuum ratio quamquam excusationem habere videtur eo quod alter versus non totus coryphaeo tributus est [1]), praesertim cum aliis locis apud Aeschylum simile quid non inveniatur, tamen, quae a diversis dicuntur, unius personae verbis videmus exaequata, ita ut parilitas in numero ponenda sit ternario.

Nihilominus illis quidem exemplis alteram de respondendo sententiam valde confirmari nemo negabit, at num potest vera esse opinio, cui quidquid fere sit consequens, cum rebus pugnet? Nam qui respondendi rationem in vicibus loquendi collocant, si constantes sibi esse volunt, nullius orationis artificiosam partium structuram agnoscunt, neque aliam in stichomythicis partibus responsionem intellegunt, quam quae singulis versibus contineatur, neque unquam adduci eo possunt, ut continuatis versibus discretos respondere sibi persuadeant. Quae omnia multis et certis exemplis demonstrata meum est non tam probare quam confirmare. Atque de orationum quidem compositione egregie disputat

---

1) Cf. G. Hermanni de loco iudicium.

Hirzelius, exempla certae atque indubiae fidei in priore dissertationis parte (p. 20 – 30) ita tractando, ut a levioribus artis indiciis proficiscens ad exempla tum eisdem numeris saepius repetitis, tum quasi figuris quibusdam numerorum insignia perveniat. Quibus exemplis cum de aequabilitate orationum Electrae (El. 300—38) [1], Orestae (Or. 544—604), Cassandrae (Tro. 353—405) Eteoclis (Phoen. 748—83) uno alterove loco turbata infra disserturus sim, Euripideum hic unum addam. In Cassandrae orationis (Tro. 424—461) ea parte, quae constat versibus tetrametris trochaicis (444—61), sacerdotem primum videmus vaticinantem, tum Phoebi munere se abdicantem, denique abituram. Atque cum Agamemnonis et suam ipsius sortem praesentiat, vaticinia in duas partes quatuor versuum (444—47) et trium (448—50) dilabuntur; deinde taenias dei sacras, dum integrae virgini liceat, solvendas sibi esse declarans, ornatum abicit bis binis versibus (—454). Iam navem ascendere cupit quasi furia Agamemnonem comitatura (455—57), atque discedens matri et salutem dat et solacium, quippe cum vindex malorum ac victrix ad inferos sit descensura (—61). Habemus igitur orationem ita conformatam 4 + 3. 4. 3 + 4.

Sophoclea autem exempla Antigonae, Philoctetae, Aiacis, Oedip. Tyr. ante Hirzelium tractaverat Otto Ribbeck in dissertatione: ‘Die symmetrische Composition in der antiken Poesie’ inscripta [2]); quorum ad unum (Oed. Tyr. 58—77) accuratius velim attendas. Oratiunculae membra a viro docto ita notata 4. 2 × 3. 2 × 5 (cf. p. 239) poetae consilium nobis non prius aperiunt, quam totam in duabus sententiis versari intellegamus, in exponendo Oedipodis de pestilentia dolore, et in eis quae rex ad salutem parandam instituerit, quorum utrumque denis versibus expressum aequabilitatem reddit hanc: 10 (4. 3. 3) 10 (5. 5.)

Ut orationis cuiusque concinna partitio argumento est non posse solis loquendi vicibus responsionem teneri, ita eandem in sententiam fabularum locis stichomythicis duci-

---

1) Numeri sunt editionis Nauckianae.

2) Nov. Mus. Helvetio. t. I. p. 213 sqq.

mur. Neque enim stichomythiae ars in eo est sita omnis, ut alternantium versus quam plurimi sese excipiant, sed singuli versus, priusquam sententiam accipiamus absolutam, plures saepius sunt coniungendi, coniuncti certum membrum efficiunt. Quodsi in eis quae secuntur altera sententia eodem singulorum versuum numero comprehendetur, et responsionem fieri apparet et positam illam esse in conexu sententiarum. Ac meo quidem iudicio, si usquam, his locis ad artem poetae plenius cognoscendam observato responsionum studio haud paulo proficimus, quoniam permultum sane interest, utrum singuli versus triginta, vel quotquot sunt, sine ullo consilio pronuntientur, an ad sententiarum certum ordinem certae partes revocatae sint. Confer his de locis Hirzelium p. 14—19.

Quo equidem usurus sum exemplo, idem egregie docet, quam facile sententiarum nexu parum perspecto his in rebus erroribus implicemur. Hirzelius enim cum disserendi initium capiat ab eiusmodi locis, qui poetae inscio atque invito potius excidisse videantur, quam ut certam artem prae se ferant, in eis numerat Iph. Taur. 909—11 = 912—14. At vero responsio quamvis oculis probetur certissima, prorsus tamen neganda est. Nullo enim vinculo, quae Orestes de salute comparanda cum Pylade colloquitur (909—11), cum Iphigeniae verbis nunc demum fratri appropinquantis copulantur, cum feminam poeta pulcherrime inducat non de fuga cogitantem, sed memorem rerum domesticarum. Quaerit igitur de sorore auditque Electram comiti Orestae nupsisse, (912—15) quem, Strophio Phocensium rege natum, et consanguineum esse et amicum fidelissimum postquam comperit, talem uxoris maritum laetissimo animo excipit (916—23). Itaque quatuor de Electra, octo de Pylade versus cum ad sororis matrimonium pertineant, coniungendi sunt (4 (3 + 1) + 8 (8 × 1)). Quaestiones ab Iphigenia de facinore in matrem commisso subiectas frater evitat dicendo primum: *σιγῶμεν αὐτά,* tum *ἔα τὰ μητρός* (924—27); deinde de Argivis rogatus non propter illorum odium aut iram patrui se exsulare exponit, sed a furiis matris vindicibus agitatum (928—935). Ipsa autem Iphigeniae verba *μητρός σ' οὕνεκ'*

ἠλάστρουν θεαί (v. 934), probant quantopere iterum octo versus cum illis de matre quatuor cohaereant. Denique de causa, cur huc venerit, ac num causam illam in Phoebi iussis positam enarrare liceat, quatuor versus alterni ultimum colloquii membrum efficiunt (936—39). Itaque cum diversae sententiae his numeris notandae sint: 4 + 8. 4 + 8. 4 intellegimus, neque in sola versuum alternatione responsionem esse positam, neque ullum artis discrimen eo fieri, quod primum membrum non quatuor singulis versibus constat, sed tres continuati cum uno Orestae coniunguntur. Quin etiam ad responsiones interdum nihil valere externam versuum speciem, idem nos locus docet. Etenim versus, qui germanorum colloquium antecedunt, cum duo a choro, septem a Pylade, tres ab Oresta pronuntientur (900—11), quominus vel de umbra aequabilitatis cogitetur, videntur prohibere. At quaenam loci est sententia? Num totum colloquium in admiranda et praedicanda fortunae felicitate versatur omnesque idem tenet stupor qui chorum? Minime id quidem, sed duobus tantum versibus Pylades fortunam respicit (902—3), tum amico suadet, ne totum se illi committat, sed viribus sit fretus; quod quidem consilium Orestes approbat. Ergo de rebus secundis bis bini versus chori et Pyladis, de salute proprio Marte paranda octo sunt eique distributi in 3. 2. 3, cum in versibus 907 et 8 argumenti locum sententia communis teneat. Praeterea membra quatuor esse et octo versuum vides, qualia in subsequente colloquio nobis occurrunt.

Alterum exemplum ut brevitate ita perspicuitate insigne oculis ipsis subiciam. In Alc. 476 prodit Hercules:

Ἡρ. ξένοι, Φεραίας τῆσδε κωμῆται χθονός
Ἄδμητος ἐν δόμοισιν ἆρα κιγχάνει.
Χο. ἔστ' ἐν δόμοισι παῖς Φέρητος, Ἡράκλεις·
ἀλλ' εἰπέ, χρεία τίς σε Θεσσαλῶν χθόνα
πέμπει Φεραῖον ἄστυ προσβῆναι τόδε;
Ἡρ. Τιρυνθίῳ πράσσω τιν' Εὐρυσθεῖ πόνον.

Duas videmus quaestiones binis versibus et quae respondentur singulis inclusa (2 + 1 = 2 + 1); quos quidem versus accurata excipit stichomythia.

Multo maioris est momenti, sententiarum nexum recte perspicere Hec. 662 sqq., quo de loco Hirzelius ita disserit (p. 9): »Post breve servae cum choro colloquium terni sunt versus, quibus haec et Hecubam compellat, et velum de mortuo corpore Polydori subtrahit (667—69. 678—80); interpositi sunt octo, quorum dimidium Hecubae est, dimidium inter hanc et servam divisum.« At vero, ut quaestionem omittamus, cur hanc tantum particulam poeta aequabili structura formaverit, nonne casu factum est, ut Hecuba quatuor versus pronuntiet, quippe quae servae querelas respiciat uno versu, tribus mirationem de mortui corpore exprimat? — Itaque ad artem poetae penitus cognoscendam alia via progrediendum videtur, et ni fallor id potissimum est considerandum, quomodo Hecuba quasi gradatim ad novi infortunii cognitionem adducatur. Ac primum quidem serva mortem denuntiatura, ubi sit domina, ex choro quaerit cum eoque per septem versus colloquitur (658—64). Tum regina progressa mulieris querelis excipitur, nec tamen novi quidquam esse, cur lugendum sit, divinat (665—70). Inscia ad rem propius accedit quaerendo: *ἀτὰρ τί νέκρον τόνδε μοι Πολυξένης | ἥκεις κομίζουσα*, cuiusmodi falsae de mortuo opiniones septem iterum versibus includuntur (671—77). Denique corpus velamento nudatum accuratius spectare iussa et filium agnoscit, et ad summum malorum se venisse videt (—83). Itaque distributio versuum secundum manifestum sententiarum progressum facta haec 7. 6. | 7. 6 idem probat quod argumenti summa, totam scaenam esse dimidiatam. Etenim in priore tredecim versuum parte cardo rerum versatur in ancillae consilio mortem nuntiandi, in altera inde a versu 671 de ipso mortuo agitur. Denique animadvertas velim septenarium membrum et prius et alterum (inde a 671) versibus 3 + 2 + 2 constare, senarium autem effici illic versibus 2. 3. 1, hic 3. 2 + 1, siquidem Hecubae extremus versus: *ἀπωλόμην δύστηνος, οὐκέτ' εἰμὶ δή* mora loquendi interiecta separandus est.

Paulo diversum nec tamen minus in sententia positum est id respondendi genus, cum continuatis versibus respondent soluti, quales locos collegentem (p. 12 sqq.) Hirzelium

non fugit Andr. 425—34 = 435—44. Attamen hi versus accuratius nobis sunt tractandi non tam propterea, quod v. d. alio loco (p. 63) iudicium fert minus rectum — ibi autem Menelai verba (425—34) in versus 2 + 8 divisa cum ultima orationis parte Andromachae componuntur — quam quia luculentius exemplum vix inveniatur. Andromacha enim posteaquam filii vitam esse servandam ampliore oratione explicuit, mortem ipsa subire parata altaria relinquit. At Menelaus comprehendi eam iubens et matri et filio mortem minatur, quamobrem illa non indignabunda magis quam pro filio sollicita, in altercationem cum inimico venit acerrimam (435—44). Quodsi summa argumenti hanc responsionem satis reddit probabilem, ad certissimum iudicium eo adducimur, quia eaedem sententiae paribus locis inveniuntur. Post senos enim versus, qui et in oratiuncula et in colloquio de ipsa Andromacha sunt, Menelaus sic pergit:

τὰ δ' ἀμφὶ παιδὸς τοῦδε παῖς ἐμὴ κρινεῖ, 431
ἤν τε κτανεῖν νιν ἤν τε μὴ κ τ α ν ε ῖ ν θ έ λ ῃ.

in colloquio hi leguntur: (M. *σὲ δὲ κτενῶ*)

A. ἦ καὶ νεοσσὸν τόνδ' ὑπὸ πτερῶν σπάσας; 441
M. οὐ δῆτα· θυγατρὶ δ', ἢν θ έ λ ῃ, δ ώ σ ω κ τ α ν ε ῖ ν.

Denique ad locum quendam accedamus externa versuum distributione insignem, ita tamen comparatum, ut eis ipsis, qui hac respondendi ratione confidant, dubitationem iniciat. Locus est Sophocleus Phil. 319—42, tractatus autem a Nakio (l. l. p. 520) sub finem commentationis, ubi responsionis ambiguitas, quae in postremis colloquii vicibus posita sit, figura designatur hac:

N. P. N. P. N. P.
3 2 2 3 2 2

Persequamur nos vero, quae sententiarum nexus aut coniungi aut dirimi iubeat, experturi, perveniamusne ad certius iudicium. Ac Neoptolemus cum versibus inter ipsum et Philoctetam ita distributis 3. 2. 3. (319—26) exposuerit, optimum se esse illius malorum existimatorem ab Atridis ipsum gravissimis contumeliis affectum binis versibus et de

iniuriis rogatur (327—28), et ad narrandum paratum se esse profitetur (329—30). Exorditur igitur (331): ἐπεὶ γὰρ ἔσχε μοῖρ' Ἀχιλλέα θανεῖν —, sed vix haec verba protulit, cum a Philocteta interrogante: »Quid? Num est mortuus Pelides?« interrumpitur (332—33), quem interfectum esse non ab homine mortali, sed ab ipso deo Philoctetes expertus (334. 35), primo in herois memoria animum tenet infixum (336), tum ad Neoptolemum sermonem referens haesitat, an in perquirendis malis perseveret (337—38), qua dubitatione remota (—340) preces, ut Atridarum facinus explicetur, repetit, (—342). Inde sequitur, ut post inceptam narrationem duo membra senaria exstent, de Achillis morte prius hac figura 1. 2. 2. 1, alterum de narrandis contumeliis ex ter binis versibus compositum. Nec potest dubitari, quin totius colloquii dispositio artificiosa sit, cum et praeparata narratio, cuius partes vidimus has 3 + 2 + 3. 2 + 2, et incepta, sed interrupta duodenis versibus constet (319—30. 331—42). Quam igitur diversum neque vereor dicere quanto rectius iudicium hoc de loco nostrum eo evasit, quod fundamento usi sumus certissimo sententiarum.

Sed haec hactenus. Quamvis enim pauca exempla ex uberrima copia protulerim, tamen id quod volui mihi videor assecutus. Neque enim quidquam hoc mihi loco erat propositum nisi demonstrare, non ita posse huius parilitatis naturam definiri, ut in ea versuum summa ponatur, quae inter duos colloquentes aequalis distributa sit, sed et latius patere respondendi rationem neque tam valere illic quam regnare sententiarum nexum. Quodsi exempla quae tractavi ullam potuerunt rem probare, hoc demonstratum arbitror, sententias potissimum poetas respexisse, respectis illis partium aequabilitatem edidisse, quae cum externa versuum distributione saepissime concinit nec tamen concinere est necessarium.

II.

Quaerentibus nobis, qui fieri possit, ut certum aequabilitatis studium a poetis Graecis adhibitum esse a nonnullis hominibus doctis prorsus negetur, duae potissimum videntur

esse causae. Nam et incertum saepius est ac dubium, num quibus finibus poeta sententiam quandam voluerit circumcludi, eidem a nobis intellegantur, — eis autem mutatis mutari vel potius tolli responsionem manifestum est — et aequabilitas sicubi eluxerit, dubitationem habere potest, num sit elaborata. Atque haec quidem dubitatio valde eo confirmatur, quod in nostratium quoque poematis haud pauca neque tenuia concinnitatis vestigia detecta nihil tamen aut studii aut consilii probant. Quodsi apud veteres res non aliter esset comparata, essetque haec omnis symmetria iudicanda ex spiritu quodam poetico manasse, accuratius inquirendi studium in ea, quae animi sunt, non rationis; non consulto facta, sed forte fortuna, iure videretur reprehendendum. Verumenimvero a nostratibus quam maxime abhorrere aequabilem veterum partitionem certo consilio summaque arte institutam demonstraturis nobis exempla ejusmodi eligenda sunt, ubi et a partibus definiendis arbitrium sit exclusum et ab aequabilitate originis absit suspitio fortuitae. In amplioribus igitur fabularum partibus experimentum nobis erit faciendum. Ibi enim cum propter argumenti diversitatem de incisionibus quibusdam nulla potest esse dissensio, tum partitio ea evadit clarissima, quae actorum vel progressu vel discessu continetur. Atque ut a talibus locis initium capiamus, ita tamen ut sententias respiciamus, non distributionem versuum:

Eur. Heraclid. 630 sqq. colloquium exstat inter Hylli ministrum et Iolaum, quod duodecim versibus alternis dictis v. 641 terminatur. Vix enim laetissimum de Hylli adventu nuntium senex accepit, cum temperare sibi non potest, quin aviam hoc gaudio afficiat. Evocat igitur Alcmenam, (v. 642), quae progressa metu liberata, ne recens ab Argivis periculum immineat, nepotem advenisse audit, sed imperatoriis officiis apud exercitum retineri. Cetera iam nihil ad sese pertinere significans (665), femina domum se refert atque ita alteram scaenae partem definit (642—65). Tum de rebus militaribus Iolao quaerenti nuntius sociorum numerum, dispositionem copiarum, quam prope absint Argivi, exponit, cum sermone subito abrupto — is autem processerat per

sex versuum alternorum paria (666—77)— verbis ἀλλ' εἶμι. (678) iam properandum sibi esse dicit ad exercitum. Quo versu novam partem incipi cum mutata stichomythia probatur tum diversissimo ab eis quae praecedunt argumento. Comitari enim iuvenem ad bellum proficiscentem Iolaus vult, senectutis debilitatisque immemor, quod consilium quam ineptum sit, altero demonstrare studente, certamen verborum acerrimum fit iterum viginti quatuor versuum (678—701). Quae cum ita sint, quatuor partes, priores duae (630—41. 642—66) personarum mutatione, alterae diversitate argumenti distinctae (666—77. 678—701), quia eadem numerorum ratio inter illas intercedit, pro strophis et antistrophis haberi possunt. Str. α 12. Str. β 24. Antistr α 12. Ant. β 24. De accuratiore partium responsione iudicium certum vix potest ferri; hoc addo, utramque partem duodenariam videri in versus 8 + 4 dilabi, quia nono versu illic Iolaus ad nuntii verba attendere incipit (τίς δ' εἶ σύ;) hic ad exercitum Argivorum transitur; quae distributio si recte se habet, cur Jolai cum Alcmena sermo initio per quatuor et octo versus progrediatur, optime explicatur.

Hujus scaenae Euripideae simillimum apud Sophoclem exstat exemplum in fabula Oed. Reg. v. 911 sqq.

Jocasta ibi in scaenam prodit propter mariti animum curis oppressum et ipsa anxia ac sollicita, a Phoebo petitura, ut quietem animis reddat. Precibus finitis (911—23) nuntius Corinthius accedit, qui Oedipodis domi versantis uxorem astare ubi audiit, salutat praedicatque beatam (924—30). Roganti, qua de causa venerit, primum hoc respondet, bona nuntiaturum se Corintho exiisse (—37), tum Corinthios rege Polybo vita defuncto orbatos consilium cepisse, ut dominum crearent Oedipum (938—44). Hoc audito regina non tam auctis regiae potestatis opibus quam Polybi commota morte, qua oraculorum auctoritas videatur eversa, maritum statim iubet arcessi (—49). Finita ante ejus progressum altera scaenae pars, cum versibus constet viginti sex, numerum altero tanto maiorem exhibet quam prior versibus 911—23 inclusa.— Rex prodit atque ab uxore Polybum mortuum esse audit, quam mortem cum nuntius ita confirmet nulla illum

vi exstinctum esse, sed naturae debitum reddidisse, facere non potest, quin ipse quoque de oraculorum fide haesitet, quae quidem sententia Iocastae verbis confirmatur. At animum cogitatio subit nondum omnia ad faustum exitum adducta esse, quoniam alterum de adulterio oraculum etiamnunc possit evenire, itaque exclamat *καὶ πῶς τὸ μητρὸς οὐκ ὀκνεῖν λέχος με δεῖ;* (976); quae verba spei antea conceptae opposita — illa autem cum mortis nuntio coniuncta versibus his viginti sex: 950—75 inerat — novam colloquii partem indicant. Nam uxor ut hunc quoque scrupulum ex animo evellat, et quam levia oracula se praestiterint ostendit, et quantum utilitatis mortalibus afferat incuria; parum tamen potest persuadere, donec post tredecim versus dictos (976—88) nuntii quaestione interiecta *ποίας δὲ καὶ γυναικὸς ἐκφοβεῖσθ' ὑπέρ;* et sermonis et argumenti ratio mutatur. Ex eisdem igitur causis ac supra, quae positae sunt et in diversa actorum praesentia et in permutato argumento, has partes 911—23. 924—49. 950—75. 976—88 numeris notandas 13. 26. 26. 13 indicavi.

Neque vero ab hoc loco accuratior responsio mihi videtur abesse. Colloquium enim ab Iocasta cum nuntio factum quomodo procedat, spectanti vix possunt obscurae esse tres particulae, quarum in prima id agitur, ut nuntiandi facultas Corinthio fiat (924—30: 3. 2. 2), altera quasi prooemium est nuntii eius, qui bona nuntiatum Corintho se abiisse dicit (931—37: 3. 2 × 1. 2), tertia ipsum nuntium exhibet (938—44: 3 (1 + 2) 3 × 1); quo nuntio quantopere commoveatur Iocasta quinque versibus exprimit In altero autem complexu duo membra septenaria certo probantur eo, quod Oedipus, quot versibus cum uxore colloquitur (950—56), totidem cum nuntio (957—63), neque in eius oratiuncula non licebit et post septem versus pausam statuere et duos extremos cum tribus sequentibus coniungere.

Sed ad Euripidem revertamur spectaturi Hel. 1369 sqq. Consilio quod de fuga paranda inter coniuges convenerat, res domesticas favere choro narratura Helena prodit; neque enim modo Theonoam de praesente Menelao silentium servasse, sed maritum etiam ad pugnam optime armis esse

instructum, cum arma, quae manibus oblaturus videatur, quasi in mortui gratiam ipse gestet. »Sed silendum nobis est« finem loquendi facit, Theoclymenum domo regia exeuntem conspiciens. Haec est prima episodii pars, quinario versuum membro undecim de Menelao cingente, ex viginti uno versibus composita. (1369—89). — Theoclymenus paucis verbis comites allocutus ad Helenam se convertit et metuens, ne maiore mariti desiderio repente correpta in fluctus se praecipitet, a navigando eam prohibere studet. At femina versuta, postquam maritum colendi officio se obstrictam dixit, et mortis voluntariae, qua mortuo nihil grati factura sit, suspitionem removet et uxorem qualem deceat se fore promittit Theoclymeno, qua ambigua sententia prior colloquii pars novem versus regis (1390—98), undecim feminae (1399—1409) continens finitur. Nam quae addit Helena: *ὅστις δὲ δώσει ναῦν, ἐν ᾗ τάδ' ἄξομεν;* ut propter proficiscendi certum consilium ad praecedentia referri nullo pacto possunt, ita propter navigationem suscipiendam cum sequentibus cohaerent. Ac primum ad parandam navem bis bini versus pertinent (1410—11=1412—13), tum de regenda nave rem Helena instituit, ut nautae dicto audientes esse iubeantur Menelao (1414—18). Ita de navigando per novem versus agitur (1410—18). Deinde ne dolori nimis indulgeat, Theoclymenus monet, quoniam Menelao deterior non futurus sit maritus; quin etiam officiosus expeditionis particeps fieri vult, qua quidem gratia non accepta sermonem abrumpit verbis: *ἀλλ' εἶα· τοὺς μὲν Πελοπιδῶν ἐῶ νόμους* (1429) [1]. — Neque igitur modo colloquii parti ei, quae ex continuatis versibus constat (1390—1409), cum solutis (1410—29) idem numerus convenit, verum etiam particulae novenorum et undenorum versuum sunt eaedem. Jam quomodo casui potest ascribi, quod par versuum numerus et colloquium antecedit et sequitur? Nam et Helenae oratio (1369—89) et Theoclymeni verba cum Menelai oratiuncula coniuncta (1429—40—50),

---

1) Docet igitur numerorum ratio, id quod ex verbis certo colligi non potest, versum 1429 a Theoclymeno dici etiamtunc ad Helenam converso. Versum 1430 sq. illum secum loqui manifestum est.

quorum sententia, quamvis sit diversa, ex eodem tamen proficiscendi consilio Helenae fluxit, vicenis singulis versibus continentur, ita ut totius scaenae dispositio numeris describenda videatur his: 21. | 20 (9 + 11) + 20 (9 + 11) | 21.

Exemplis quae adhuc protuli id potissimum egi, ut aequabilitatem demonstrarem eam, quae sita esset in maioribus fabularum partibus pari numero confectis. Cum vero fieri vix possit, quin structura eiusmodi, si accuratiore particularum concinnandarum arte non sustentetur, parum sibi fidei apud aliquot homines doctos conciliet, spectatae jam ac probatae membrorum responsionis loci nobis sunt respiciendi. Ac tantum abest, ut de ampliore, quam dixerim, responsione iudicium his locis improbetur ac refutetur, ut concinnitas minutissimarum particularum hac demum via inita haud raro tamquam luce illustretur; cuius rei luculentum exemplum exstat in Euripidis Medea.

Medeae (866), cum tribus primis versibus Iasoni totidem, quid velit, roganti responderit, orationem esse Hirzelius p. 27, docet in duas partes eo similes divisam, quod in priore duo versus denariis membris cinguntur, in altera duo quinariis; tum iustissimo patrocinio v. 913 suscepto Iasonis verba ostendit bis ternis et bis quaternis versibus constare. Quamobrem aequabilitatem his in numeris inesse: 3 . 3 . 10 . 2 . 10 . 5 . 2 . 5 . 3 . 3 . 4 . 4 . nemo negabit nec tamen ullam poetae rationem perspiciet. Verum haec duo velim animadvertas, et alteram orationis partem inde a. v. 894 cum diverso argumento, tum eo manifestissime distingui, quod liberi a matre evocantur, et Medeae orationem chori excipi versibus duobus. Qui versus ad orationem adnumerati — neque enim cum Hirzelio consentio, eiusmodi dicta chori ab ulla responsione aliena iudicante (p. 93) — cum alteram partem reddant hanc 5 . 2 . 5 . 2, quid sibi velint numeri Iasoni tributi 3 . 3 . 4 . 4 . i. e. cur complexus recurrat quatuordecim versuum, optime docent. Atque ut omnis dubitatio tollatur, num forte fortuna facta sit haec versuum partitio, respiciamus, quot versus priorem scaenae partem efficiant. Illi autem (866—893) distributi in 3 . 3 . 10 . 2 . 10 nullam aliam summam complectuntur, quam quae est bis denorum quaternorum versuum. — De epi-

sodii reliqua parte artificiose constituta disseruit Hirzelius p. 39 sqq.

Similiter res se habet Hel. 437 sqq., quem locum Hirzelius in stichomythiae artem inquirens ita tractat (p. 15), ut Menelai cum ianitrice colloquium has in partes dividat: 8 | 8 . 6 . 6 . 6 . 6 | 6 . Attamen et de paucis rebus singulis videtur a viro docto dissentiendum esse, neque universa loci ratio satis demonstrata. Quamquam enim ianitricis verba sunt prima v. 437, tamen scaena non a v. 437, sed a v. 435 initium capit, cum anus Menelai verbis evocetur: *ὠή· τίς ἂν πύλωρος ἐκ δόμων μόλοι;* Porro num inde a versu 453 *αἰαῖ· τὰ κλεινὰ ποῦ 'στί μοι στρατεύματα;* novum sententiarum membrum idque primum senarium statuere liceat, perdubium mihi videtur, quia exclamatio artissime cohaeret cum ianitricis minis: mox per vim depelleris (452). Adde quod de versu 451 eiusque cum ceteris conexu iudicium nostrum propter corruptelam videtur incertum [1]). Itaque quo libentius amplector Hirzelii egregiam inde a v. 459 membrorum senorum distinctionem, de terra Aegypto, de rege Graecis infesto, de Helena inimicitiarum causa, de necessitate abeundi, eo minus auctoritatem illius sequi possum in eis quae praecedunt. Ibi Menelaus foribus pulsatis ab ianitrice tam duris verbis excipitur, ut primo quidem nihil antiquius habeat, nisi ut animum illius mitiget leniatque. Ita duodecim versus dicuntur his vicibus insignes 2 . 4 . 2 | 2 . 2 × 1 (435—46). Tum demum petit, ut nuntium malorum

---

1) Permirum mihi videtur, quod Menelaus, cuius quam plurimum refert infortunium domino nuntiari, anu id facere recusante aliamque domum adiri iubente, non precibus instat, sed attende quaeso quid dicat sese esse intraturum,

οὐκ· ἀλλ' ἔσω πάρειμι· καὶ σύ μοι πιθοῦ.

Atque ingressurus is est, cui ne ad portam quidem stare permittitur! Immo vero de ingressu non agitur, sed de nuntio, ipsis verbis *καὶ σύ μοι πιθοῦ* respecto; itaque quod anum moveat desideratur. Scribentibus autem nobis: *οὐκ· ἀλλ' ἐγὼ πάρειμι, καὶ σύ μοι πιθοῦ* vide quam praeclara sententia existat, commendata eo quod et *σύ* pronominis cum vi pronuntiati ratio nunc patet, et conexus cum versu 453 restituitur.

ad dominum deferat (447), ac repulsam ferens pristinae potentiae et felicitatis cum dolore reminiscitur, qui versus duodecim (447—58), si iudicium meum de v. 453 recte se habet, in ter quaternaria membra distinguenda sunt. Iam vero Menelaus a precibus tantopere irritis desistens interrogare incipit, ubinam locorum hoc tempore versetur, qua quaestione cum sermo adducatur ad Helenam, quantum scaenae summa mutetur, facile est intellectu. Confer igitur partem de miseriis nuntiandis priorem (435—58), alteram ad res Aegyptias pertinentem (459—82), utramque videbis versibus vicenis quaternis compositam. — Ac ne id quidem fortuitum duxerim, quod ex bis vicenis quaternis versibus scaena constat. Nam quae praecedit Menelai oratio, codice auctore versus illa quidem complectitur quadraginta novem (386—434), sed uno versu a Nauckio optimo iure est imminuta, cum verba ἡνίκ' ἔρανον εἰς θεοὺς πεισθεὶς ἐποίεις versibus 388 et 89 inserta conexum qui interest inter periculosum certamen Pisae institutum atque optatam Pelopis mortem funditus tollant. (cf. Nauck. Stud. Eurip. I. 69) [1]).

Sed ut unam potius fabulam accuratius tractemus, Euripidis Hecubam sumamus.

De primo Hecubae episodio Hirzelius pluribus locis tam egregie disputat, ut si qua paulo aliter velim statui, haec quidem satis sint levia. Primum vero h. d. silentio praetermisit breve Hecubae et Ulixis colloquium alternorum versuum (239—50), cuius duae statui possunt senorum versuum partes, quibus et periculum Ulixis Troiam ingressi atque ab Helena reginae proditi exponitur, et implorata salus atque comparata describitur. Atque clarissime elucet partam post salutem nullo pacto posse sermonem esse de supplicandi ratione, quod quidem fit collocatione versuum ut plurimis et optimis codicibus exhibita, ita a Nauckio iure neglecta, qui paucos deterrimae notae libros secutus locum ita edidit:

1) In Menelai oratione cnm accuratioris distributionis partes mihi videar animadvertisse has 6 . 7 . 8 . 3 . 3 . 6 . 8 . 7 facere non possum, quin loco corruptissimo 397—99, quem maiore hiatu laborare censet Usenerus, numerum quidem versuum iudicem genuinum.

ΕΚ. ἥψω δὲ γονάτων τῶν ἐμῶν ταπεινὸς ὤν; 245.
ΟΔ. ὥστ' ἐνθανεῖν γε σοῖς πέπλοισι χεῖρ' ἐμήν. 246.
ΕΚ. τί δῆτ' ἔλεξας δοῦλος ὢν ἐμὸς τότε; 249.
ΟΔ. πολλῶν λόγων εὑρήμαθ', ὥστε μὴ θανεῖν. 250.
ΕΚ. ἔσωσα δῆτά σ' ἐξέπεμψά τε χθονός; 247.
ΟΔ. ὥστ' εἰσορᾶν γε φέγγος ἡλίου τόδε. 248.

Nec tamen recte vir doctus mihi videtur indicasse, non quo »certissima emendatio idcirco reicienda sit, quia auctoritas levissima vel potius nulla ad gravissima argumenta accedat« (Nauck. Stud. Eur. I. 7), sed quia emendationem et certam et omnino esse ullam nego. Nam qui possumus arbitrari, poetam illum *τραγικώτατον* contra naturam humanam adeo peccasse, ut Hecubam quaerentem faceret primum: nonne supplex mihi ad pedes procubuisti? deinde num usus esset verbis; hoc illo multo minoris momenti subcogitandum erat aut superiore in loco collocandum. Atque ita, ni fallor, fecit poeta:

ΟΔ. μεμνήμεθ' ἐς κίνδυνον ἐλθόντες μέγαν. — 244.
ΕΚ. τί δῆτ' ἔλεξας δοῦλος ὢν ἐμὸς τότε; 249.
ΟΔ. πολλῶν λόγων εὑρήμαθ', ὥστε μὴ θανεῖν. 250.
ΕΚ. ἥψω τε γονάτων τῶν ἐμῶν ταπεινὸς ὤν; 245.
ΟΔ. ὥστ' ἐνθανεῖν γε σοῖς πέπλοισι χεῖρ' ἐμήν. 246.
ΕΚ. ἔσωσα δῆτά σε. . . 247.

Quae collocatio versuum, quantopere particula *τέ* uno in Marciano servata confirmetur, non est opus admonitu; hoc addo, versus 249 et 250 censendos esse, postquam in archetypo omissi ad eius marginem ascripti fuissent, in libris uiq inde derivarentur sub finem brevis colloquii venisse, unde corrector quis morbo perspecto removit eisque arbitrarium, quem apud Nauchium quoque tenent, locum tribuit. — De Hecubae oratione colloquium sequente non habeo quod ad Hirzelii disputationem p. 47 addam [1]), de Polyxenae vero verbis

1) Scripturam versus 281 recte se habere persuadere mihi non possum. Nam quod Hecuba, quantum solacii in Polyxena sibi positum sit, demonstratura dicit

ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
πόλις, τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.

quod v. d. ita iudicat, post septem versuum praefationem duo membra octonaria usque ad v. 364 exstare, deinde bis binos et ter ternos versus proferri, postremo versu 378 cum Nauckio damnato, haec omnia ei optime possunt concedi, paullo rectius tamen ita statui existimaverim, ut bis bini versus cum primo membro ternario in unum coniungantur. Id enim non tam licet per sententiam, quam necessarium videtur propterea quod filia inde a v. 372 ad matrem se convertit, quo facto verba ad Ulixem dicta his numeris includuntur 7 . 8 . 8 . 7 Sed hoc levius sane est, multo gravius atque ita comparatum, ut responsiones Hirzelianas perficiat atque absolvat, quod totam scaenam summa partium aequabilitate adstrictam intellegimus. Etenim perspicuum est versuum 216—381 quatuor esse partes, quarum prima est Ulixis Polyxenam interfectum iri nuntiantis cum Hecuba colloquium, altera Hecubae oratio, tertia Ulixis, quarta Polyxenae oratio, neque potest dubitari, quin has partes nobis statuentibus et chori versus ad quamque orationem ascribendi sint, et cum Polyxenae oratione brevis exhortatio matris filiam ad dicendum impellentis sit copulanda. Iam ad numeros transeuntes dialogum illum versibus contineri videmus triginta quinque (216—50), quae summa etiam Ulixis oratione adiectis chori versibus (299—333) praebetur, Hecubae autem oratio cum chori verbis coniuncta quadraginta octo versus aut septem, deleto v. 279, complectitur (251—98), neque alius numerus in quarta parte inest sive tollis versum 378 sive servas. Ergo cum versuum complexus hi sint:

---

quid hoc loco sibi vult *πόλις*? Sive id intellegendum existimaveris de Polyxena dictum, quia deletae urbis memoriam revocatura sit, sive *πόλις* hoc loco meministi usurpatum esse de una cive, semper summae tibi difficultates occurrunt. Quam aliter se habent reliqua nomina piae filiae senem matrem adiuvanti ac sustentanti egregie tributa! quae cum omnia ad senectutis imbecillitatem spectent, facile in sententiam nos adducunt eam, ut simile quid sub voce *πόλις* latere arbitremur. Quid multa? Mihi quidem videtur Euripides scripsisse:

ἥδ' ἀντὶ πολλῶν ἐστί μοι παραψυχή,
πολιᾶς τιθήνη, βάκτρον, ἡγεμὼν ὁδοῦ.

ubi non invenustum est *ὀξύμωρον* illud *πολιᾶς τιθήνη*.

miram apparet aequabilitatem intercedere et inter mortis nuntium atrocissimum eiusque patrocinium ab Ulixe susceptum et inter matris ac filiae orationes. Hoc doleo, quod de versibus 279 et 378 a Nauckio iure in suspicionem vocatis hac responsione detecta certius nobis iudicium non paratur, cum tantum constet aut utrumque esse delendum, aut neutrum. — De reliqua episodii parte cf. Hirzelium p. 11 et 14.

Hec. 484. In secundo episodio Talthybii narrationem numerorum legibus astrictam esse negabat Hirzelius (p. 93); quodsi in hac quoque aequabilitatis certas leges demonstraturus sum, ne ars mea responsiones investigandi maiorem moveat suspitionem, accuratissimam particularum concinnitatem hoc loco non perspici libere fateor, nego tamen locum prorsus orbatum esse artificiosa compositione. Sed ad rem ipsam accedamus. Atque ipsius narrationis exordium exstat v. 521 praemissis tribus versibus, de quibus infra disserendum erit. Coram igitur Argivis frequentissimis Neoptolemus Polyxenam manu ducens in tumulum ascendit ibique stat pateram auream ad libandum tenens. Tum silentio multitudini praeconis voce indicto preces ad patrem mittit, ut sacra benevolo animo accipiat et prosperum ipsis reditum paret, quae vota populus et ipse suscipit. Iam virginem a iuvenibus comprehendi iubet, at illa liberam se velle mortem obire professa Agamemnonis iussu liberatur. Ipsa veste dilacerata pulcherrimum corpus nudatum gladio mortifero offert atque ut cum constantia mortem subit, ita cum honestate corruit. Talem vero virginem ornaturi omnes undique concurrunt, atque altero alterum impellente ramulis frondibusque corpus obruitur. — Sic narrationis summa exposita dubitari non potest, quin in quinque partes dispescenda sit. Post enim universi sacrificii praeparationes (521—30), altera pars Neoptolemi preces complectens, tertia Polyxenae verba hac arte elaboratae sunt, ut non modo utraque duodenis versibus constet (531—42 = 543—54 [1]), sed etiam oratio-

1) Eo quod vv. 555 et 56, a Iacobsio primo damnati, his legibus repugnant, numerorum rationem non tam infirmari quam probari, facile, ut opinor, mihi concedetur.

nes ipsas ternarium membrum (531—33. 543—45) antecedat, quarta pars quatuordecim versibus exponit (557—70), qua ratione mortem passa sit, quinta mortuae honores describit (571—82) [1]). Ad eam cum chori duo versus adnumerandi sint, partes videmus has:

10. 12. (3 + 9). 12. (3 + 9). 14. 14.

Sed ad initium redeamus, ubi de tribus illis versibus narrationi praemissis recte iudicare vix poterimus, priusquam totam scaenae partem quae praecedit spectaverimus. Atque hic multum me iuvari gaudeo Nauckii opera, qui acumine quo excellit spuriam versus 490 naturam perspexit (Stud. Eurip. I. p. 11). Accedit igitur ad gravissima v. d. argumenta accurata responsio. Nam post bis binos versus a Talthybio et choro dictos, ille dubitationem, num revera Iovis providentia mundus administretur, tribus versibus exprimit (488—91 deleto v. 490), in quam sententiam adducitur pristinas Troianorum Hecubaeque opes (492. 93) comparans cum praesenti infortunio (494—96), cui rei optatum subicit, ne similem fortunae mutationem patiatur (497—98). Talthybii igitur oratiuncula, priusquam iacentem Hecubam excitat, his numeris procedit 3. 2. 3. 2, qui bis binis versibus praemissis quatuordecim versuum complexum efficiunt. Altera scaenae pars est Talthybii cum Hecuba colloquium, quo

---

1) In hac parte Nauckius versum 578 in suspitionem vocat:

ἕστηκας, ὦ κάκιστε, τῇ νεάνιδι
οὐ πέπλον οὐδὲ κόσμον ἐν χεροῖν ἔχων; 578

Ac primum quidem in verba *ἐν χεροῖν ἔχων* argutius quam verius disputat; neque enim notio *φέρων* desideratur, sed ei qui stant *οὐδὲν ἐν χεροῖν ἔχοντες*, ceteris qui sunt *ἔχοντες ἐν χεροῖν* opponuntur. Multo vero plus offensionis inesse in verbis *πέπλος* et *κόσμος* quandoquidem haec militibus gregariis praesto esse non possint, quivis Nauckio assentiatur; quo accedit quod studiosissimi ipsi nihil offerunt nisi folia ramosve. Itaque cum idem a ceteris posci aequum atque consentaneum sit, ut olim *κορμὸς* pro *κόσμος* coniectum est, ita nuper Prinzius seminarii sodalis *πέπλον* corruptum videri ex *πέταλον* sagaciter perspexit. Certe nihil est, quo offendaris, in versu sic scripto:

οὐ πέταλον οὐδὲ κορμὸν ἐν χεροῖν ἔχων.

miserae quis sit exponit et cur venerit, ab Agamemnone iussus matrem ad Polyxenae corpus sepeliendum arcessere, quod colloquium ter binos et bis ternos versus continet (499—510). Nam in eis quae secuntur ad regis mandatum Hecuba nihil respicit, sed exclamans *οἴμοι τί λέξεις; — ἦλθες σημανῶν κακά. — εἰπὲ καίπερ οὐ λέξων φίλα* uno desiderio incensa, qualis filiae exitus fuerit, accuratius cognoscendi Talthybium movet, ut mala illa exponere non recuset (511—20 cum Hirzelio (p. 9.) digerendi ita 2 + 2 + 3. 3). Ut igitur quae disputavimus paucis comprehendamus, tres partes, quibus praeco Hecubae miserias deplorat, mandata exsequitur, obsecratur ut Polyxenae mortem describat, manifesto discernendae, cum versibus circumclusae sint 14. 12. 10, mirum in modum concinunt cum eis, quas in narratione deteximus, cf.

14 (2. 2. 10) **12** (2. 2. 2. 3. 3) **10** (2 + 2 + 3. 3) 10. 12. 12. 14. 14 neque haec ratio nullius est momenti ad probandum, quam recte Nauckius ex primo quindecim versuum complexu unum exterminaverit.

Fabulae e x o d u s in caussa Polymestoris agenda versatur, cuius oratio cum Hecubae verbis comparata quantam aequabilitatem prae se ferat, cum ab Hirzelio demonstratum sit (p. 31), sola relicta nobis videtur extrema scaenae pars, nec tamen eius numeros ad priora non pertinere infra videbimus. Dicta igitur ab utroque caussa Agamemno fert iudicium quater ternis versibus (1240—51): sibi quidem, cui suscepta iudicis persona non iam sit abicienda (1240—42), Polymestorem videri non Argivorum causa necem perpetrasse, sed propter aurum (—45), verba illum facere sibi commoda, atrocissimum commisisse facinus (—48), nec fieri posse, quin poenas luat (—51). Itaque graviter illum ferentem, quod femina discesserit superior, cum Hecuba interpellet, stichomythia existit, cuius prima pars sic est instituta, ut lamentationes istius mater occisi filii vindex acribus acerbisque cavillationibus excipiat (1252—58), altera vaticinium continet, ex quo Hecuba in canem mutata de antennis in mare sit delapsura (1259—65). Bis septeni igitur versus recurrunt, quos accuratius partiendos esse in ternos et quaternos

facile senties. Audito oraculo Hecuba quaerit, unde hanc ille notitiam hauserit suae ipsius sortis ignarus (1266—69), tum de vitae suae die supremo (1270—74). Quibus novem versibus ei qui ultimam colloquii partem efficiunt ita respondent, ut et ipsi in 4 + 5 digerendi sint, quippe cum Cassandrae mortem afferens Clytaemnestra quatuor versibus respiciatur, quinque necem parans marito (1275—83). Neque diverso numero finem toti fabulae imponit Agamemnonis oratiuncula (1284—92), quamvis paulo neglegentius ita comparata, ut membrum novenarium de medio versu 1284 initium capiat. Circumscripta igitur extrema fabulae pars numeris est his

4 × 3 | 7 (3 + 4) 7 (3 + 4) 9 (4 + 5) 9 (4 + 5) | 9

nec difficile est intellectu versuum esse summam quinquaginta trium. At quid hoc ad rem? Iam respiciamus Polymestoris et Hecubae orationes, quarum utramque, illam scilicet: 1132—82, alteram: 1187—1237, versibus circumclusam videmus quinquagenis singulis, priorem autem chori quatuor versibus excipi, de quibus tamen Dindorfius dimidium damnavit (1185 et 86), hanc chori duobus, ita ut ter recurrat eadem quinquagenorum ternorum versuum summa. Neque id forte fortuna factum esse, sed certo poetae consilio, dialogicam partem orationibus subiectam eadem qua illas magnitudine fingentis, cum omnino hoc aequabilis compositionis studium probat, tum similia exempla; vide infra Eur. Andr. 645 sqq. Inde sequitur, ut non iam cum Hirzelio in perspecta utriusque orationis responsione ita possimus acquiescere, ut dummodo aequabilitas non perturbetur, quotquot velis, versus utrique parti per has leges subtrahere liceat, sed ut agnoscendus sit numerus traditorum versuum genuinus. Qua in re certamen mihi ineundum esse de aliquot versibus cum Nauckio non ignoro, sed eo facilius id sustinebo, quia unus versus, qui speciem prae se ferat interpolationis, versum dico 1137, iam ab Hirzelio recte tractatus est corrigendi necessitatem probante, negante damnandi. Qui neque εὖ recte se habere, ubi de facinoris causis agatur, et addendum esse, cuinam Polymestor prospexerit, Nauckio suo iure assentiens cum ipse proposuisset

ἀνθ' ὅτου δ' ἔκτεινα νιν;
ἄκουσον, ὡς ἔθηκα σοῦ προμηθίαν,
sententiae quidem satis fecit, sed codicum verba *ὡς εὖ καὶ σοφῇ προμηθίᾳ* parum probabiliter mutavit. Qua meliorem medelam loco afferre posse mihi videor proponendo:
τοῦτον κατέκτειν'; ἀνθ' ὅτου δ' ἔκτεινά νιν;
ἄκουσον, ὡς σοῦ κατὰ σοφὴν προμηθίαν·
certe sic difficultates illae sunt sublatae neque mutationes sunt ita comparatae, ut non facillime depravatio explicetur. Quodsi hoc loco Nauckius suo iure haerebat, non item iustas esse offensiones iudicaverim, quas v. d. de versibus 1148 et 1237 ceperat. Nam pro his versibus:
λόγῳ με τοιῷδ' ὡς κεκρυμμένας
θήκας φράσουσα Πριαμιδῶν ἐν Ἰλίῳ 1146
χρυσοῦ· μόνον δὲ σὺν τέκνοισι μ' εἰσάγει 1147
δόμους, ἵν' ἄλλος μή τις εἰδείη τάδε. 1148
quod scribi vult: *μόνον δὲ σὺν τέκνοισι μ' εἰσάγει δόμους* quaenam sunt causae, quibus ad emendandi rationem sane haud facilem adducatur? Ac primum quidem in verbo *χρυσοῦ* vehementer offendit, quia Polymestori, ut avaritia se ductum esse occultet, aut aurum omnino non commemorandum sit aut certe non ea vi pronuntiandum, quae collocatione verbi efficiatur. At quamquam equidem potius crediderim maioris perspicuitatis causa a poeta ad *θήκας* adiectum esse *χρυσοῦ*, nonne quis etiam ita potuerit argumentari, de industria animum hominis avaritia occaecati ita induci, ut eo ipso tempore, quo auri cupiditatem contegi quam plurimum referat, quantopere ea moveatur, ipse prodat? Neque offensioni nobis esse debent verba: *ἵν' ἄλλος μή τις εἰδείη τάδε,* quae ut poetico colore sane distincta non sunt, ita cum id agatur, ut res perspicue exponatur, optime explicant, quomodo rex, qui multis comitibus stipatus advenerat (cf. v. 979—81), feminis potuerit esse inferior. — Sed ad tertium locum accedamus, quem Nauckius sic proponit scribendum:
οὐχ ὅσιον οὐ δίκαιον εὖ δράσας ξένον, (*δράσεις*) 1235
αὐτόν σε χαίρειν τοῖς κακοῖσι φήσομεν. (*αὐτὸν δὲ — κακοῖς σε*)
[*τοιοῦτον ὄντα· δεσπότας δ' οὐ λοιδορῶ.*] 1237
Ac quamquam illam constructionis anomaliam optime posse

ferri h. d. multis exemplis luculentis probavit, neque tamen cur statuatur videtur esse causa [1]), neque video quamobrem omittenda sint verba *δεσπότας δ' οὐ λοιδορῶ* vel quid omnino offensionis habeant. Immo vero si non exstarent, facile potuit fieri, ut liberioribus Hecubae verbis animus Agamemnonis offenderetur. Quae cum ita sint, versus a Nauckio in suspitionem vocati videntur retinendi, etiamsi non his legibus probarentur; quos vero Dindorfius damnavit 1185 et 86, quod *ἐπίφθονοι* et *κακοί* sibi opponuntur, itaque quid sit *ἐπίφθονος* et quid *ζηλωτός* ab auctore ignoratur, id unum cuius sint originis satis indicat.

In reliquis Hecubae partibus cum de hac ampliore responsione iudicium minus mihi videatur certum — probabiliter tamen prologi duae partes vicenorum septenorum versuum statui possunt, quarum priore Polydorus vitam apud Polymestorem suam, eiusque exitum nefarium, describit (1—27); altera ad praesentia spectat, quomodo futurum sit, ut uno die Hecuba et filii et filiae mortem lugeat (28—54) — ultimis autem quatuor versibus, quos particula *φεῦ* a praecedentibus separat, mater compellatur — hoc tempore illa praetermittam. Iam omnino huic disputationis parti finem imponerem, nisi prae ceteris unus locus qui tractaretur idcirco dignus esset, quia id quod saepius iam perspeximus de particularum parilitate iudicium universa compositione spectata rectius evadere probat:

Heraclidarum prologum Hirzelius in eorum locorum numerum refert (p. 87), ubi manifesta numerorum ratio uno loco turbata sit nec tamen de versu aliquo gravior occurrat spuriae originis suspitio. Sententiis enim accurate spectatis cum has partes invenisset 5.6.5.6. 8.8, in eo haeret, quod tertius locus non octonario membro tenetur, sed novenario (39—47). Sed respiciamus illos numeros. Nonne necesse est, si poeta ullam in sententiis ita describendis rationem secutus est, duas partes significare eum voluisse, priorem notatam numeris quinariis et senariis recurrentibus, alteram octonariis membris, quorum clausula

1) Minoris momenti est illud *κακοῖσι* in uno Vaticano traditum.

esset novenarium? illa autem in causis fugae exponendis, quae sunt Eurysthei inimicitiae, versatur, hac exponitur, quomodo Heraclidae ex omnibus terris eiecti ultimam salutem ab Atheniensibus petituri sint. At hanc quoque spem sublaturus caduceator Eurysthei prodit (48), cuius aspectu perterritus Iolaus (48—54) maiore etiam timore subsequente colloquio afficitur. Id autem his loquendi vicibus formatum:

Co.	Io.	Co.	Io.	Co.	Io.
2	2	4 ×	1	2	4

(cf. Hirzel. p. 12) cum septem orationis versibus (48—54) artissime cohaerens eandem viginti quinque versuum summam exhibet, quam altera prologi pars (23—47 : 8.8.9). Itaque cum bis undeni versus praecedant, occurrunt nobis 22 (11. 11.) 25. 25.

III.

Quamquam fieri non potuit, quin in priore quoque parte interdum criticae quaestiones attingerentur, sive hae leges cum sententiis hominum doctorum pugnarent, sive iudicia illorum redderent certiora, tamen nullus erat locus, cuius equidem vitia vel detegerem, vel detegere mihi viderer, ut obscuratae responsioni lucem redderem. Neque enim ignoro quam facile oculi nostri hac luce praestringantur, neque quam lubricus sit campus, in quo versemur. Itaque omnino ad eiusmodi locos tractandos aggredi vix auderem nisi duabus causis adductus, primum quod, si ullius poetae, Euripideae fabulae futilium additamentorum multitudine laborant, quorum quidem multa Hirzelius eadem studia secutus felicissime removit, tum quia aliquot locos iam antea in suspitionem vocaveram, quos nunc intellexi non minus poetae studio aequabilitatis impugnari. — Sed tamen his locis duo praemittantur, de quibus homines docti magis inter se dissentiant, quam ut partium concinnitas demonstrata ad diiudicandam poetae scripturam nihil momenti afferat.

P h o e n. 748. Eteoclis verbis ad proelium cum fratre committendum abituri duos versus esse inculcatos homines docti iudicaverunt. Ac primus quidem Valckenarius versum

756 damnavit: κτανεῖν ϑ' ὃς ἦλϑε πατρίδα πορϑήσων ἐμήν, quippe qui altero etiam loco legeretur ne litera quidem mutata (v. 1376). Id autem iudicium non esse probatum Kirchhoffio eo plus habet admirationis, quia altera versus 755 lectio tunc servanda ἐλϑεῖν δορὶ pro ἑλεῖν δορί versu 754 idem exprimente, satis molestum efficit pleonasmum:

καί μοι γένοιτ' ἀδελφὸν ἀντήρη λαβεῖν,
καὶ ξυσταϑέντα διὰ μάχης ἐλϑεῖν δορί.

Qui vero homo doctus tam manifestam interpolationem non agnovit, idem alteram multo reconditiorem sagacissime indagavit, versum 778 σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ· (sic Marc.) προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω· fluxisse iudicans ex 568 σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ· σοὶ δὲ Πολύνεικες λέγω. Neque alia suppositiciae originis desunt indicia. Nam quo saepius servorum et ministrorum appellationes prorsus omittuntur [1]), cf. Bacch. 809 Penthei verba ἐκφέρετέ μοι δεῦρ' ὅπλα, σὺ δὲ παῦσαι λέγων, eo plus insoliti habet ea dicendi formula, quae sollemnitate quadam insignis fere non usurpatur nisi inter aequales. Conferas autem Phoenissarum locum laudatum, cf. Hel. 1662 σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ, συγγόνῳ δ' ἐμῇ λέγω — sunt autem Castoris verba — Suppl. 1213 σοὶ μὲν τάδ' εἶπον· παισὶ δ' Ἀργείων λέγω a Minerva dictum, facile intelleges, quantum discriminis intercedat inter illos locos et inter eum, ubi simplex iussum profertur. — Confirmatur autem utriusque iudicium accuratissima sententiarum distributione. Eteocles enim consilio Creontis septem duces Thebanorum eligendi atque Argivorum primoribus opponendi probato optat, ut ipse Polynicis fiat adversarius (748—55), tum ad res domesticas animum attendens Creontem rogat, ut sororis cum Haemone nuptias exsequatur et parentibus consulat (757—65). Unum vero restare addit, ut ex Tiresia sciscitentur, si qua deorum iussa acceperit, quae ille quidem ipsi non sit commissurus, sed libenter Creonti (766—73). Denique de belli exitu cogitans, quid Polynicis interfecti corpore faciendum sit, praescribit atque arma sibi poscens ad certamen spe victoriae elatus properat (774—

1) Ita fere iudicat etiam Kayserus in annal. philol. 1857 p. 122.

83). Habemus igitur membra octonaria et novenaria ita alternantia 8.9.8.9, quorum in primo et ultimo spurii versus 756 et 778 inerant; necnon accuratiore partium concinnitate illa sunt insignia. Nam in exordio orationis post quinque versus de belli ratione ineunda dictos tribus Eteocles, quid ipse efficere cupiat, exponit, quemadmodum in altero membro octonario tres extremi de vatis in Eteoclem et Creontem diverso animo secernendi sunt. In priore autem novem versuum complexu quatuor versus de Antigonae nuptiis sunt, (757—60), quinque ad parentes spectant (761—65), et in ultima parte versu ipso suppositicio (778) quatuor qui iussa de Polynice continent separabantur (774—77) ab illis quinque Eteoclis animum pugnae et gloriae cupidissimum exhibentibus. Quamobrem artificiosa orationis structura his numeris est indicanda:

$$8\ (5+3)\ 9\ (4+5)\ 8\ (5+3)\ 9\ (4+5)$$

Talis consensus satis certo nobis est argumento, neque hoc loco neglegentia librariorum versus Euripideos esse omissos, neque interpolatorum sedulitate alios atque duos illos adiectos. Itaque iam ab hac parte reicienda videtur Trendelenburgii mei opinio, qui versus 751—53 in universa sententia offendens et quia nexum inter versum 750 et 754 artiorem turbent ab Euripide abiudicat [1]). At neque omnino haec argumenta firmiore fundamento nituntur et quam maxime eo corrunt, quia Euripidea quaedam consuetudo Aeschyli rationem naturae rerum interdum paulo minus accommodatam tecte reprehendendi ei qui Euripidis Electram (praecipue versus 509—46) cum Choephoris comparat dubia esse non potest [2]).

Orest. 544. Exordium orationis quam Orestes ad crimina Tyndarei diluenda habet, turbatum esse cum intellexisset Kirchhoffius, ordinem versuum suo iure ita restituit,

---

1) Adolfus Trendelenburg grammaticorum Graecorum de arte tragica iudiciorum reliquiae p. 54 not. Bonnae 1867.

2) Vide Valckenarium ad l., idem sentientem quod Brumoy (théatre des Grecs IV. 178): si l'on y regarde de près, il paraît qu' Euripide donne ici un trait de satyre assez fin à son prédecesseur.

ut versibus 546 et 47 positis post v. 550 quinque de reverenda senectutis auctoritate inter se cohaererent. Nec tamen orationis quasi prooemio hic iam finem imponam, sed quos versus de universa sua pietate Orestes profert adnumerem. Argumentari enim a versu 551 demum incipit, patrem ut praecipuum vivendi auctorem matre pluris esse faciendum (551—56), praesertim ea matre, quae alienis nuptiis initis tantum peccaverit (557—63). Iam videmus senarium membrum circumcludi septenariis (544—50. 557—63), quorum velim ultimum versum utriusque compares; illic enim exstat (550)

ὅσιος δέ γ' ἕτερον ὄνομα τιμωρῶν πατρί

hic ἀνόσια μὲν δρῶν, ἀλλὰ τιμωρῶν πατρί.

Tum pergit Orestes, ut morte multandus sit tantum abesse ut laude omnium praemiisque sit dignus, cum prohibuerit, quominus tales matres ad filios refugere posse sibi videantur (564—571), neque modo feminam peccasse, sed ne poenas solveret maritum occidisse (572—78), quam necem si non ultus esset, futurum fuisse ut a furiis patris vindicibus agitaretur (579—84). Hae igitur tres sententiae versibus exprimuntur 8 . 7 . 6, cum quibus quae secuntur non prorsus consentiunt. Post comparationem enim inter Tyndaridem et Penelopam sex versibus factam (585—90), de Phoebo caedis auctore, ad quem et culpa referenda sit et salutis spes, versus exstant novem (591—99); denique non beate, quamvis bene, illud actum esse concedens Orestes infortunium positum dicit omne in nuptiis infaustis, quam sententiam chorus amplectitur (600—606: 2 + 3. 2). Omnia igitur numeris inter se comparatis 8. 7. 6.6. 9.7. excepto uno loco concinunt, atque hoc ipso loco Nauckius versum 593 ᾧ πειθόμεσθα πάνθ' ὅσ' ἂν κεῖνος λέγῃ esse interpolatum summa cum probabilitate demonstraverat (cf. Stud. Eur. I. 45). Quod vero idem homo doctus versum 596 antea notaverat suspectum, tum in versibus 595 et 596

ἐκεῖνον ἡγεῖσθ' ἀνόσιον καὶ κτείνετε·
ἐκεῖνος ἥμαρτ', οὐκ ἐγώ. τί χρῆν με δρᾶν;

haec tantum Euripidea esse ducebat:

ἐκεῖνον ἡγεῖσθ' ἀνόσιον· τί χρῆν με δρᾶν,

parum probabilis est opinio cum propter rationem criticam per se ipsa, tum quia Orestes Phoebum *ἀνόσιον* dicere non potuit nisi secum ipso comparatum, id quod verbis quae secuntur *ἐκεῖνος ἥμαρτ᾽, οὐκ ἐγώ* efficitur. Adde quod anaphora illa vix videtur interpolatori deberi. — Ergo unus versus in membro novenario (590—99) satis erat suspectus, unum tolli iubet ratio antithetica.

Iam ipse his in quaestionibus periclitaturus disserendi initium faciam de Eur. Tro. 353, non quo omnium certissimum mihi hoc de loco iudicium stet, sed quia orationibus oratio optime adnectitur. — Cassandra Troianorum sortem praedicandam esse beatiorem quam Graecorum demonstratura primo utitur argumento illorum futili bellandi causa,

> *οἳ διὰ μίαν γυναῖκα καὶ μίαν Κύπριν*
> *θηρῶντες Ἑλένην μυρίους ἀπώλεσαν,*

tum ad filiam a patre mactatam respiciens pergit:

> *ὁ δὲ στρατηγὸς ὁ σοφὸς ἐχθίστων ὕπερ*
> *τὰ φίλτατ᾽ ὤλεσ᾽, ἡδονὰς τὰς οἴκοθεν*
> *τέκνων ἀδελφῷ δοὺς γυναικὸς οὕνεκα*
> *καὶ ταῦθ᾽ ἑκούσης κοὐ βίᾳ λελῃσμένης.*

Ac speciem postremus versus prae se fert, quasi vim huius loci valde augeat, sed ut omittamus prorsus nihil referre, num rapta Helena magis sit quam raptorem secuta, praesertim cum de amoris fervore iam dictum sit (368), quid tandem poeta hoc loco secutus est? Nonne quomodo *ἐχθίστων ὕπερ* et *τὰ φίλτατα* sibi opponuntur, ita ratio contraria intercedit inter *τὰς οἴκοθεν ἡδονὰς τέκνων* et *ἀδελφῷ δοὺς γυναικὸς οὕνεκα*, ita ut versu subsequente membrorum concinnitas tollatur? Quid? nonne id ipsum gravissimum est, filiam mactatam esse feminae causa, quae res quam aliter se haberet,

> *εἰ μὲν πόλεως ἅλωσιν ἐξιώμενος*
> *ἢ δῶμ᾽ ὀνήσων τἄλλα τ᾽ ἐκσώσων τέκνα*
> *ἔκτεινε πολλῶν μίαν ὕπερ* — (Eur. El. 1024)

nunc vero omnia mala exstitere *διὰ γάμον μιᾶς ἕνα γυναικός* (Tro. 498). Itaque iam probasse me arbitror, sententiam loci multo melius se habere, si versus 373 non exstaret, quo cum accedat, quod copulatio *καὶ ταῦτα* non tam adiungit

quam assuit neque vox *ἑκούσης* per se ipsa ullum praebet sensum — conferas autem quam apte ab Euripide usurpetur El. 1065 *ἡ μὲν γὰρ ἁρπασθεῖσ' ἑκοῦσ' ἀπῴχετο* — facile eo adducor, ut histrioni potius egregium versum ascribam quam Euripidi. Ac num locus sit integer, hanc dubitationem structura orationis nobis affert. Cum enim inde a v. 365 Graeci cum Troianis comparentur, duae sunt partes prior de Graecis versibus viginti uno constans (365—85), altera versibus viginti (386—405), quae opinionem si cui afferant responsionis non ad unguem elaboratae, is errore fallatur propterea quod accuratior partium distributio agnoscenda est. Nam in priore parte de turpissima belli causa novem versus sunt (365—73), bellum ipsum quam infaustum Graecis fuerit duodecim versibus describitur (374—85), in altera posteaquam Troianorum pro patria mors praedicata est versibus octo (386—93), duodecim de gloria Hectoris et Paridis et de laude omnium in praeclaro interitu posita dicuntur (394—405). Itaque non iam sunt partes 21, 20. sed 9 + 12. 8 + 12. neque alio loco exstat versus ille suspectus, quam in ipso membro novenario. Adde quod versus qui comparationi praemittuntur et ipsi duodecim sunt (353—64), quamquam propter sententiarum conexum hi respondere rectius censentur summae versuum a choro et matre dictorum (341—52).

Supplic. 1165. Theseus Argivorum corpora a Thebanis proelio repetita Adrasto tradens verbis quam gravissimis monet, quanto beneficio illi sint obstricti, at paullo post, in aeternum fore Argivis gratam memoriam Adrasto confirmante, (*χάριν τ' ἀγήρων ἕξομεν· γενναῖα γὰρ | παθόντες ὑμᾶς ἀντιδρᾶν ὀφείλομεν*) addit: *τί δῆτ' ἔθ' ὑμῖν ἄλλ' ὑπουργῆσαί με χρή*; Quid? qui modo testes invocavit deos (1174. 1175), quantum Athenienses sustinuissent, iam ad alia adeunda paratus est officia? neque solum tanta facilitas ab gravitate personae, quam exhibet Theseus, quam maxime abhorret, sed locus etiam hoc miri habet, quod Adrastus ad haec verba *οὐδὲ γρῦ* attendit, utpote qui salutem det: *χαῖρ'· ἄξιος γὰρ καὶ σὺ καὶ πόλις σέθεν.* Quae verba cum Theseus ita excipiat: *καὶ σὺ τῶν αὐτῶν τύχοις*, id ipsum declarat, quod versui 1180 contrarium est, se non iam consulturum esse Adrasti rebus, sed dei ut consulant, optare.

Itaque nescio an v. 1180 a scaenae ratione alienissimus, ut ab Adrasto manifesto non auditus, ita ab Euripide abiudicandus sit [1]), atque ei debeatur, qui sibi non temperarit, quin usitatam quandam officiosi animi formulam Theseo ascriberet desumptam fortasse ex alia fabula Euripidea. — Confirmatur autem sententia nostra legibus numerorum. Theseus enim undecim versus pronuntians cum ad Argivorum corpora quatuor versibus respiciat, septem autem ita distributis 2 . 3 . 2 . gratos esse illos iubeat, facile intellegitur, et cur Adrasto gratias agenti quatuor versus tribuantur, et quantopere postea salute data ac reddita singulis versibus omnis ordinis ratio interiecto versu 1180 perturbetur. — Neque vero hac in responsione nobis acquiescendum est, sed experturis utrum tota scaena compositionem exhibeat artificiosam necne, maiores sententiarum complexus respiciendi sunt; quorum primum in beneficio accepto positum esse apparet. Is (1165—79) quindecim versibus constans numerorum praebet hanc figuram 4 . 2 . 3 . 2 | 4. Iam abiturus est Adrastus, cum Minerva intercedit vetatque eum dimitti, priusquam Argivorum cum Atheniensibus perpetuum foedus iureiurando sanxerit. Quod quo ritu parandum sit, cum dea inde a v. 1196 exponat, quae pars versatur in Adrasti discessu iam suscepto sed a dea impedito, versu 1195 finita, eodem numero, quo prima scaenae pars versu 1180 exterminato, continetur (1181—95: 2×1. 2 . 11). Tum Minerva Thesei animo, repetitis verbis ἄκουέ μου (1196), acrius intento singula quae sint observanda praescribit; quam cortinam ab Hercule ex Ilio raptam Delphico deo dedicaverit (1196—1200), ut ei incidatur foederis memoria (1201—4); ut culter, quo hostiae mactentur, humi absconditus posteris fidei violatae sit testimonium (1205—9), ut quo loco combusta sint Argivorum corpora, is sacer fiat Neptuni (1210—12). Itaque versu 1213 qui ita comparatus est, ut per se quidem et ad praecedentia et ad sequentia referri possit, ad hanc partem

1) Kirchhoffio turbatum conexum recte perspicienti post v. 1180 nonnulla videntur deesse, in cuius sententiam discedere non possum, quia omnino huic Thesei personae versus 1180 repugnat.

adnumerato duodeviginti sunt versus (1196—1213) unum complexum particulis 5 . 4 . 5 . 4 efficientes. Denique dea heroum ad Thebas caesorum filios alloquitur, sententiis ita ordinatis 5. 3. 2. 3., quas qui secuntur Thesei versus sunt quinque. Iam observes velim eandem repeti summam diversis membris effectam: 18 (5 . 4 . 5 . 4) 18 (5 . 3 . 2 . 3 | 5).

Hel. 71. Troia expugnata etiam belli auctricem a Menelao esse captam postquam exposuit Teucer, ab Helena rogatur, utrum captivam viderit an rem auditu habeat compertam. Respondenti

ὥσπερ σέ γ' οὐδὲν ἧσσον ὀφθαλμοῖς ὁρῶ. (*σ'ἐγώ* Cob.)

dicit: *σκοπεῖτε μὴ δόκησιν εἴχετ' ἐκ θεῶν.* 119.

Tum uno versu interiecto secuntur:

ἙΛ. οὕτω 'δοκεῖτε τὴν δόκησιν ἀσφαλῆ; 121.

ΤΕΥ. αὐτὸς γὰρ ὄσσοις εἰδόμην ὡς νῦν σ'ὁρῶ. 122.

codice ultima verba sic exhibente: *καὶ νοῦς ὁρᾷ.* Nonne permirum, quod eadem fere sententia prope nullo spatio separata recurrit, cum quid discriminis intercedat potissimum inter versum 118 et 122 nullus videam, nisi forte quis hoc premat, versum 122 verbis *ὄσσοις εἰδόμην* paulo magis Homericam dicendi consuetudinem redôlere quam Euripideam. Sed haec repetitio admirationem tantum habet, quid quod exstat postquam versum Teucer dixit hunc:

ἄλλον λόγον μέμνησο, μὴ κείνης ἔτι. 120

Nam qui ita verba de quadam re facere vetitus est, aut silendum ei est cf. Iph. Taur. 927. *ἔα τὰ μητρός· οὐδὲ σοὶ κλύειν καλόν.* 928. *σιγῶ,* aut cur eadem in re perseveret, excusandum, cf. eiusdem fabulae

546 *οὐκ οἶδ'· ἄπελθε τοῦ λόγου τούτου, γύναι.*

547 *μὴ πρὸς θεῶν, ἀλλ' εἴφ', ἵν' εὐφρανθῶ, ξένε.*

hoc vero loco non modo neutrum fit, sed Helena, cum idem repetierit propter quod silentium ei impositum erat idque multo maiore vi articulo *τὴν δόκησιν* addito, alterum movet, ut aequissimo animo prorsus eadem ratione fidem verborum confirmet! His de causis interpolationem adesse ut facillimum mihi videbatur intellectu, ita difficillimum explicatu, quomodo exstiterit, neque ullam potui invenire rationem, nisi existimaverimus versum 121 ad v. 119 ut dittographiam

appositum, postea in textum illatum effecisse, ut v. 122 ad similitudinem componeretur versus 118. Ita fere de utroque versu (121 et 122) apud animum meum statueram multo ante quam in haec responsionis legum investigandarum studia incubui, quas sententiae meae favere cum gaudio intellexi. Quod probaturus ab ea parte, cuius concinnitas certa sit, proficiscar oportet. Menelaus igitur, de quo inde a v. 123 sermo est, absens a patria dicitur quatuor versibus (123—26), tempestas autem, quae in mari Achaeo exorta communem Graecorum reditum turbaverit, sex versibus describitur (127—32); tum quatuor exponunt, Ledam filiae infamiam gravius ferentem mortem sibi conscivisse; quae duplex de Tyndaridis fama percrebruerit, in sex versibus inest (133—36. 137—142). Hae vices quaternariorum et senariorum membrorum per totam scaenam regnant, licet interpolationibus saepius obscuratae sint, qua quidem in re Nauckii iudicium versum 81 et versus 92 et 93 in suspicionem vocantis probatur, Badhami de versibus 85—88 non item. In initio enim scaenae Teucrum videmus, ubi Helenam conspexit, in feminam inimicam atque infestam acrius invehentem versibus sex (72—77), placatum iniustissimo odio exprobrato codicis quinque versibus, Euripideis quatuor id est bis binis (—82) [2]. Tum unde huc venerit Helena quaerit eumque Teucrum esse audit Telamonis filium (83—88), cuius de exsilio accuratissimae stichomythiae quaternarium membrum deletis vv. 91 et 92 exstat (—94). Iam decem de

---

1) V. 121. 122 damnavit etiam Wold. Ribbeckius coni. in Eur. Hel. Berol. 1866. p. 7 sq. cuius iudicium ut minime eo confirmatur, quod equidem in eandem suspicionem incidi, ita maxime his aequabilitatis legibus.

2) De initio huius scaenae ad rectius me iudicium adduxit Usenerus, qui cum inter v. 78 et 79 unum senarium intercidisse summa cum probabilitate iudicasset nec non v. 81 reiciendum esse negasset, versus 78—82 id est bis ternos intellexit accurate sex Teucri versibus (72—77) opponi. Nunc demum interrogatio initium capit et hinc, id est a v. 82, illae senorum quaternorumque vices observantur.

Aiacis morte secuntur accuratius in 3×1. 3×1. 2×1, 2×1 discribendi (—104), quibus quaestione adnexa num ipse belli Troiani particeps fuerit, de diruta urbe senarium est membrum, de tempore ibi consumpto quaternarium (105—10. 111—14). Denique occurrit nobis de capta Helena locus (115—22), cuius numerus octonarius tam male cum totius scenae compositione pugnat, quam facile restituitur senarius i. e. is quem versibus 121 et 122 damnatis reciperavimus.

Or. 734. Pylades ab Oresta exceptus voce *οἰχόμεσθα* cum audiat Menelaum in germanos se pessimum praestitisse, minime id miratur, »nam malae congruere sane mulieri virum malum« (737). Paullo post ad illud Orestae cum Menelao colloquium sermonem revocans quaerit, quonam modo preces patruus exceperit. Animus autem istius egregie uno verbo describitur: *εὐλαβεῖτο*, quo, etiamsi Orestes non addidisset: *ὃ τοῖς φίλοισι δρῶσιν οἱ κακοὶ φίλοι* (748) hoc in nexu satis denotaretur cavendi ac praevaricandi ista ratio, qua prohibemur, quominus pro amicis ulla pericula subeamus. Neque Pylades id nescit, cum interrogationi *σκῆψιν εἰς ποίαν προβαίνων;* addat *τοῦτο πάντ' ἔχω μαθών*. Rem ipsam igitur significat iam satis se tenere, ignaviam scilicet fuisse Menelai, hoc ignorare, quidnam causae ille praetenderit. Dici vero eos *πάντ' ἔχειν* quibus de quadam re nulla iam sit dubitatio notum est cf. Aesch. Ag. 582 Iph. Aul. 883. At vero cum audiverit Tyndarei adventu eiusque affinitate Menelaum esse motum (752), praeter ullam exspectationem quaerit:

κοὐκ ἐτόλμησεν πόνων σῶν ἀντιλάζυσθαι παρών;

quae interrogatio ut optime se haberet initio colloquii, praesertim quia illi loco aptum esset vocabulum *παρών*, ita maxime rebus repugnat, postquam de audacia Menelai in partibus amici suscipiendis omnino non esse cogitandum, totius colloquii praecedentis summa fuit. Neque in eo quod Orestes respondet offendere non possum: *οὐ γὰρ αἰχμητὴς πέφυκεν, ἐν γυναιξὶ δ' ἄλκιμος*. Nam primum quidem hoc loco nihil de bellica Menelai virtute agitur, sed de constantia potius atque animi fortitudine, tum verba *ἐν γυναιξὶν ἄλκι-*

μος parum quadrant, quia non inter feminas fortem se praebuerat, sed propter feminam cf. Or. 717 *ὦ πλὴν γυναικὸς οὕνεκα στρατηλατεῖν τἄλλ' οὐδέν.* Diversa sane ratio est versuum Androm. 456—58, ibi fuerat Menelaus *ἐν γυναιξὶν ἄλκιμος,* quoniam contra Hectorem imbellis dicitur *νῦν εἰς γυναῖκα γοργὸς ὁπλίτης φανείς.* His de causis facere non possum, quin versibus 753—54 notam inuram suspectae originis, quamquam veterem illam fuisse glossa Hesychiana: *ἀντιλάζυσθαι — ἀντιλαβέσθαι* docet. Denique nemo mihi obiciat *ἀντιλάζυσθαι* verbum proprie Euripideum non posse deberi interpolatori. Nonne facillime versum 753 componere is potuit cuius animo obversabatur v. 452 *ἀλλ' ἀντιλάζου καὶ πόνων ἐν τῷ μέρει?*

Sed videamus indiciumne nostrum artificiosa sententiarum distributione confirmetur. In duas partes colloquium distinguendum esse ipsa versuum forma docet, alteram ex tetrametris catalecticis, qui singuli singulis tribuuntur, compositam, alteram hemistichia exhibentem. In priore autem parte exitus eo facilius secernitur, quo apertius verbis *κἀμέ νυν ἐροῦ τί πάσχω* (v. 763) ad res Pyladis transitur, qui versus de Pylade undecim (763—73) cum gravissimam sententiam exhibeant *οὐχὶ Μενέλεω τρόποισι χρώμεθα,* non fortunam fuisse existimaverim, quae medios posuerit inter exaequatas de Orestae calamitate et de salute periclitanda partes. Enarratur enim illa, si versus 753. 754 omittuntur, versibus triginta duobus (729—762), qui numerus in altera parte, versu 782 cum Nauckio condemnato recurrit (774—806). Quo cum accedat, quod Orestes secum loquitur undecim versus (718—28), maiores scaenae partes video hac arte compositas 11. 32. 11. 32. — Attamen tali versuum distributioni hoc loco interpolationibus depravato minus haberem fidei, nisi singula quoque artificiose elaborata sentirem. Ac primum quidem cur oratiunculam illam ex versibus 4.3.4 constare dicam non opus est explicatu. Tum post Pyladis interrogationem quinque versuum (729—33), sermonis stichomythice instituti de Menelai in germanos nequitia versus sunt quinque (734—38), sex de istius atque uxoris adventu (739—44), qui quidem nu-

merus senarius aut postulat ut alter subiciatur, aut versibus 5.5.6 indicat complexum teneri unum, cf. quae supra de Heracl. prologi membris 8.8.9 disserui. Hoc vero constat, novam partem incipere verbis: *σὺ δὲ τίνας λόγους ἔλεξας σοῦ κασιγνήτῳ πατρός*, quae quaestio cum per se absoluta non sit nisi audito patrui responso versus coniungendi sunt quatuor (745—48), alteri quatuor Menelaum Tyndarei auctoritate deterritum ostendunt (749—52), quos subsecuntur duo isti versus initio huius disputatiunculae tractati. Tum bis quaternis versibus in quo vitae discrimine Orestes propter populi iudicium versetur exponitur (755—58), et Pyladis consilium fuga salutem petendi reicitur, cum effici non possit (—62). Itaque non modo quia et priores versus 4 + 4 et posteriores 4 + 4 artius inter se cohaerent, istis duobus, qui priori numero octonario adnumerandi erant, nullus relinquitur locus, verum etiam propterea condemnandi videntur, quia senorum denorum versuum complexus quem illic formant versus 5.5.6, hic 4+4. 4+4, existit reiectis 753—54, servatis tollitur. — In eis quae secuntur (inde a. v. 774) Nauckii de versu 782 iudicium eo etiam confirmatur, quod consilium ipsum ad populum contionandi quot versibus inter amicos deliberatur (774—86 deleto 782), totidem respiciuntur quae capto consilio efficienda sint (787—98). Accuratiori autem aequabilitati, quae mihi videtur notari posse numeris 3.6.3 plus momenti ipse non tribuo. — Denique velim animadvertas, scaenam quae praecedit Tyndarei discessu definitam (629) versu 686 cum Hermanno deleto versus complecti octoginta sex, id est eundem praebere numerum, qui si Nauckii et meum iudicium recte se habet his numeris inest 11. 32. 11. 32 [1]).

Andr. 750. Andromacha mortis periculo sublato ut animo in Peleum est gratissimo, ita metum reprimere nequit,

---

1) Ceterum haec fere omnia imprimis quae ad ampliorem responsionem pertineant eo incertiore niti fundamento non nego, quo maior habeatur fides Useneri iudicio et vv. 743. 44 et v. 793 in suspicionem vocantis.

ne inimici senem illum videntes (754) insidiis paratis superiores discessuri sint. Senem vero esse Peleum neque perterrito feminae animo ita fingi cum aliis fabulae locis probatur, tum versu 717, ubi vincula soluturum se esse dicit tremulis manibus. Itaque iam hac de causa offensioni esse potest, quod Peleus postquam militum praesidium commemoravit pergit:

ἡμεῖς δ' ἔτ' ὀρθοὶ κοὐ γέροντες, ὡς δοκεῖς.

Nec tamen in leviore quae videtur esse poetae neglegentia gravius haererem, nisi versus verbis exciperetur his:

ἀλλ' εἷς γε τοιόνδ' ἄνδρ' ἀποβλέψας μόνον
τροπαῖον αὐτοῦ στήσομαι πρέσβυς περ ὤν.

Quid? qui modo senem se esse negavit, nunc victoriam de altero reportaturus est quamvis sit *πρέσβυς*? an tantum interest inter *γέρων* et *πρέσβυς*, ut qui *οὐ γέρων* sit, idem iure dicatur *πρέσβυς*? Quod si quis contra usum loquendi hoc loco factum existimaverit, errore eum labi verba quae secuntur demonstrant:

πολλῶν νέων γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ κρείσσων

quibus cum Peleus se et illos manifesto respiciat, egregia eius adhortatio ita procedit, ut Andromacham metum abicere iubeat, et quia *ὀρδός* adhuc sit nequedum senex, et quia senex sit, isto scilicet iuvene fortior. Ineptiae autem eiusmodi qui fieri potuit non tam, ut in fabulam Euripideam irreperent, quam ut ab hominibus doctis non detegerentur? quia, ni fallor, totius loci sententia minus perspiciebatur artiore qui intercedit inter v. 759 et 762 conexu ignorato. Nec enim dubium est, quin sententiarum progressus hic sit: Nulla tibi est metuendi causa propter peditum equitumque copias, quae si non praesto essent, ne tum quidem iure tuo te timor incederet, cum talem iuvenem solus quamvis senex profligaturus sim, id quod a poeta ita exprimitur: satis praesidii nobis est, at istum victurus sum solus. Quid multa? ut locus in integrum restituatur, non modo versus 701 delendus videtur, sed *μόνον* in *μόνος* mutandum:

τίς ὑμῶν ἅψεται; κλαίων ἄρα
ψαύσει. θεῶν γὰρ οὕνεχ' ἱππικοῦ τ' ὄχλον
πολλῶν θ' ὁπλιτῶν ἄρχομεν Φθίαν κατά·

[ἡμεῖς δ' ἔτ' ὀρθοὶ κοὐ γέροντες, ὡς δοκεῖς,]
ἀλλ' εἴς γε τοιόνδ' ἄνδρ' ἀποβλέψας μόνος
τροπαῖον αὐτοῦ στήσομαι πρέσβυς περ ὤν.
πολλῶν νέων γὰρ . . .

Hoc versu damnato id quod Hirzelius iudicaverat (p. 94) praeter versus 645—90, quorum artificiosam compositionem ipse demonstraverat, huius episodii etiam principium et exitum ad certas quasdam figuras esse quadrata, ex parte quidem possumus probare. Neque enim modo Menelai oratiuncula tot versibus continetur (729—46), quot Peleus cum Andromacha colloquitur (747—65, deleto v. 761) verum etiam cum illius verba in tres partes distinguenda sint: nunc quidem rem sibi non fore cum sene irritato, sed ad debellandum oppidum Lacedaemoni vicinum proficiscendi esse necessitatem (729—736), reversum quid gener fecerit, aut probaturum se esse aut ulturum (737—43), senis decrepiti verba se assis non facere (744—46): tres illae orationis partes numeris ita notandae 8 + 7 + 3 colloquii vicibus inverso ordine 3 + 7 + 8 (9) respondent. Sed siquid video, latius patet poetae ars quam in hac summa duodeviginti versuum bis pariter distributa, cum id ipsum, quod talis versuum numerus repetitur, certo consilio poetae factum esse persuasum habeam. Id probaturus ad orationes Menelai et Pelei quae praecedunt me converto. Atque in illa quidem (645—90) futile illud additamentum versuum 668—77 perversitate sententiarum insigne tollendum esse Hirzelius cum aliis tum Nauckio (Stud. Eur. II. 189) probavit; simul Nauckii de versibus 655—56 iudicium concinnitate partium patefacta confirmans. Nec tamen longius v. d. progressus est neque eam veri quasi obrussam adhibuit, qua in comparandis Polynicis et Eteoclis, Polymestoris et Hecubae orationibus usus est. Menelai enim orationem, quam ex ter quinis, bis octonis, tribus versibus compositam docuit, si cum Pelei verbis (693—726) contulisset, eadem utramque magnitudine esse triginta quatuor versuum facile intellexisset, quo quidem haud parum iudicium eius stabilitur. Cum vero utramque orationem bini versus sequantur eosque singulis orationibus adiungendos esse conexus sententiarum doceat, bis recur-

rentes videmus versus triginta sex, quibus num quis dubitare potest quin bis duodeviginti versuum summa consulto adaptata sit?

El. 272—431. Orestes amici habitu simulato cum sorore diutius colloquitur, quasi res domesticas fratri nuntiaturus. Subito interrogans: *αἴδ' οὖν φίλαι σοι τούςδ' ἀκούουσιν λόγους;* ad explorandum accedit, quomodo de nece patris vindicanda res se habeant, eiusque memoria revocata, quibus iniuriis etiam mortuus afficiatur, sciscitatur. Choro idem rogante ad unum sententiarum complexum versus viginti octo (272—99) *φεῦ* (282) non numerato [1]) coniungendi sunt. Post malorum ampliorem descriptionem, Autolycum Electrae maritum appropinquare chorus denuntiat, qui primo admiratus, quod uxorem peregrini homines circumstant, ubi Orestis amicos advenisse audivit, laetus eos salutat domumque iubet introire; tota autem de Autolyco scaena iterum constat versibus viginti octo (339—66): 2 . 4 . 4 | 4 × 1. 4 × 1 | 1 + 2 + 4 . 2 . 1 — Tum Orestes Autolyci exemplo ut agrestis hominis ita ingenui monitus, de difficultate hominum naturam perspiciendi uberius disserit, quo facto ingressurus, ut sic Electrae introeat frater, cum optaverit, salutis choro maiorem spem inicit (367—403). Sequitur Electrae et Autolyci de hospitibus convivio excipiendis [2]) colloquium, quod bis binis et bis duo-

---

1) Eiusmodi interiectiones ad numerorum rationem nihil valere rectissime monet Hirzelius l. l. p. 22.

2) Propter rerum inopiam maritum iubet Electra senem patris educatorem adire:

κέλευε δ' αὐτὸν τόνδ' εἰς δόμους ἀφιγμένον 413
ἐλθεῖν ξένων τ' εἰς δαῖτα πορσῦναί τινα.

sic Kirchoffius codicem secutus, Nauckio *τόνδ'* cum Scaligero eiciente. At neque id per criticae artis rationem licere, neque *ἀφιγμένον ἐλθεῖν* recte se habere, cum Kirchhoffius intellexisset, proposuit:

κέλευε δ' αὐτὸν τῶνδ' ἀφιγμένων δόμους
ἐλθὼν ξένων εἰς δαῖτα πορσῦναί τινα.

Atque sagacissime illud *τῶνδ' ἀφιγμένων,* cetera non satis probabiliter ac parum eleganter. Itaque nescio an loco melius succurramus extremos versus inter se mutatos arbitrati:

κέλευε δ' αὐτὸν — δαῖτα πορσῦναί τινα
ἐλθεῖν, ξένων — τῶνδ' εἰς δόμους ἀφιγμένων.

denis versibus nullam aliam summam praebet, quam versuum viginti octo (404—31). Diverbiis igitur, quae pari versuum numero confecta sunt, circumclusas videmus duas longiores orationes, quarum utrique aliquot chori versus succedunt. Sed cum priores, quibus Autolyci adventus indicatur, nihil prorsus commune cum Electrae oratione habeant, posteriores ex ipso Orestae optato profecti sint, optimo iure et illos dialogo adnumerabimus et hi cum oratione Orestae copulandi sunt. Iam videamus, num idem aequabilitatis studium a poeta ad componendas orationes collatum sit, quae res exspectationem videtur frustrari, quia Electrae oratio undequadraginta versibus constat (300—38), contra Orestae oratio cum verbis chori coniuncta versus exhibet triginta septem (367—403). Itaque omnem de accurata responsione cogitationem hoc loco abiecissem, nisi in ea oratione quae modum videtur excedere, de versu aliquo damnando iudicium meum auctoritate praeceptoris clarissimi confirmatum fuisset. Ab Electra enim vitae angustias describente haec proferuntur:

αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους,
ἢ γυμνὸν ἕξω σῶμα καὶ στερήσομαι,

---

cui emendationi magis favet quam repugnat illud τ' εἰς in versu 414 relictum. — Sed alterum locum addere liceat, cuius salus in eadem medicina posita videtur. Helena enim (Eur. Hel. 306) querelas de mortuo marito fundens monetur, ne advenae verbis nimis confidat. Cum igitur choro respondeat: καὶ μὴν σαφῶς ἔλεξ' ὀλωλέναι πόσιν, versus se excipiunt,

Ch. πόλλ' ἂν γένοιτο καὶ διὰ ψευδῶν ἔπη,
Hel. καὶ τἄμπαλίν γε τῶνδ' ἀληθείας σαφῆ.

Verba corrupta a diversis diversa ratione temptata sunt, Heathio proponente ἀληθεία σαφής, Kirchhoffio ἀληθείᾳ σαφῆ, alia aliis. At quid hoc loco agitur? nonne ut chorus Helenae verba καὶ μὴν σαφῶς ἔλεξε refutet, quod qui potest fieri generali responsione illa: Multa mendose dicuntur? Immo vero notio σαφής premenda erat, quamobrem ultro nobis se offert haec transpositio:

Ch. πόλλ' ἂν γένοιτο καὶ διὰ ψευδῶν — σαφῆ,
H. καὶ τἄμπαλίν γε τῶνδ' ἀληθείας — ἔπη.

cf. Eur. Phoen. 469 μῦθος τῆς ἀληθείας.

αὐτὴ δὲ πηγὰς ποταμίους φορουμένη.
ἀναίνομαι δὲ γυμνὰς οὖσα παρθένους 311
ἀνέορτος ἱερῶν καὶ χορῶν τητωμένη, 310
ἀναίνομαι δὲ Κάστορ', ᾧ πρὶν εἰς θεοὺς
ἐλθεῖν ἔμ' ἐμνήστευον, οὖσαν ἐγγενῆ.

Ac facile est ad intellegendum ut speratam matrimonii felicitatem (312. 13) eis nuptiis opponi, quibus initis aquandi munere servili fungatur, ita versibus 311 et 10 respici ad versum 307. Nam quae vestes suis manibus conficiat, ea ad sollemnia deorum adeunda *γυμνάς* sit necesse est. At quid significat v. 308 *ἢ γυμνὸν ἕξω σῶμα καὶ στερήσομαι* nisi, cum ipsa vestes mihi faciam, non sum *γυμνάς*? ergo versibus 308 et 311 res prorsus contrariae efficiuntur; iam hoc sufficeret, ut opinor, ad versum 308 damnandum etiamsi non alia argumenta accederent. Vide autem quam non sit apta totius enuntiati forma, quae sic fere constituta: *ἢ σῶμ' ἂν εἶχον γυμνόν* nihil haberet offensionis; vide, quaeso, quid sibi velit *στερήσομαι*, nullo ni fallor loco prorsus eodem sensu quo *ἐνδεήσομαι* usurpatum. Adde quod artificiosa periodi structura versu 308 evertitur, bis binos enim versus qui incipiunt *ἀναίνομαι μέν, ἀναίνομαι δέ*, versus praecedunt anaphora *αὐτὴ μέν, αὐτὴ δέ* insigniti; versus autem alter *αὐτὴ δέ* cum ipse per se sententiam absolvat, concinnitas postulat, ut prior quoque sententia uno versu includatur. Itaque versus 308 eiciendus est [1]) dignus sane, qui potius ex scholiis Euripideis fortasse ad v. 310 et 11 ascriptis quam ab Euripide profectus censeatur. — Sed ut unde digressus sum redeam, cum orationum differentiam duobus versibus effectam cognoscebam, illo tempore iamdudum hoc mihi erat iudicium certissimum. Quodsi de aequabilitate non iam dubitavi elaborata, sed turbata, ut alium quoque versum damnandum censerem, motum me esse responsionis legibus non nego, nego quem versum sum damnaturus, eum hac de causa damnari. — Electra ab hospite

1) Idem de versu 308 iam senserat Petrus Camperus (Electra Lugd. Bat. 1831), cuius argumentatio cum viris doctis parum probata videatur, meam supprimere nolui.

rogata ut et patris et quae ipsa acceperit iniurias exponat, loquendi ita facit initium:

λέγοιμ' ἂν εἰ χρή· χρὴ δὲ πρὸς φίλον λέγειν
τύχας βαρείας τὰς ἐμὰς κἀμοῦ πατρός. 301
ἐπεὶ δὲ κινεῖς μῦθον, ἱκετεύω, ξένε,
ἄγγελλ' Ὀρέστῃ τἀμὰ καὶ κείνου κακά.

Atque offendendum quidem est in versu 301 non modo quia eandem sententiam exhibet quam v. 303, sed quia deterius etiam idem exprimit. Quae enim quarto loco rectissime significantur et Electrae et patris *κακά*, ea priore loco dicta *τύχαι* feminae tantum superstiti conveniunt, non patri mortuo contumeliis affecto. Deinde quia propter versus trecentesimi naturam prorsus absolutam nulla possit causa perspici, cur v. 301 ab Euripide compositus sit, iam probabilis quibusdam videatur spuriae originis suspitio. At num sufficit probabilitas, nonne quam maxime requiritur certitudo? Ac ne certum quidem indicium, quo versus 301 evincatur suppositicius, deest, positum in violato loquendi usu Euripideo. Conferamus enim haec exempla:

El. 1060. *λέγοιμ' ἄν· ἀρχὴ δ' ἥδε μοι προοιμίου.*
I. T. 939. *λέγοιμ' ἄν· ἀρχαὶ δ' αἵδε μοι πολλῶν πόνων.*
Hek. 1132. *λέγοιμ' ἄν· ἣν τις Πριαμιδῶν . . .*
Hik. 465. *λέγοιμ' ἂν ἤδη· τῶν μὲν ἠγωνισμένων . . .*
Or. 640. *λέγοιμ' ἂν ἤδη· τὰ μακρὰ τῶν σμικρῶν λόγων-*
—El. 1013. *λέξω δέ· καίτοι δόξα . . .*

nonne omnes loci eandem praebent consuetudinem, ex qua *λέγοιμ' ἂν* (*λέξω*) in exordio ampliorum orationum collocatum loquendi voluntatem significat sensuque est accipiendum intransitivo. Neque ullum exemplum quod contra esset inveni, excepto hoc quod quidem repugnando non tam usum Euripideum tollit quam se ipsum. Quam facile vero Euripideis versibus:

λέγοιμ' ἂν εἰ χρή· χρὴ δὲ πρὸς φίλον λέγειν. 300
ἐπεὶ δὲ κινεῖς μῦθον, ἱκετεύω, ξένε,
ἄγγελλ' Ὀρέστῃ τἀμὰ καὶ κείνου κακά.

inseri potuerit v. 301, vix opus est admonitu.

Itaque Electrae et Orestae orationes simili parilitate

esse insignes, qua diverbia interposita inter se iunguntur, numeri hi (inde a v. 272—431) demonstrant:

28. 37 (39). 28. 37. 28.

Sed ad Electrae orationem paululum revertamur. Ibi post tres versus praefationis (300—3. del. 301) tria nobis membra novenaria occurrunt, quorum primum est de Electrae vita ac cultu miserrimo (304—13 del. 308), alterum de matris et Aegisthi superbia (314—22), tertio exponitur tantum abesse ut patris sepulcrum honoribus colatur, ut ab Aegistho afficiatur contumeliis (323—31). Denique ad hospitem se convertit precibus, ut omnia fratri exponat (332—38). Itaque orationis partibus 3 | 9 . 9 . 9 | 7 iudicium de versu 308 confirmatur.

Iam vero tot exemplis perlustratis finem his quaestionibus imponam, non quo rem me perfecisse et absolvisse crediderim, sed quia id fere quod volui assecutus mihi videor. Demonstrasse enim me arbitror responsionum leges esse neque ea severitate, ut certa versuum distributio eandem semper formam requireret, neque poetis eam dare licentiam, ut particulas quasdam quasi figuris numerorum ornarent nulla totius scaenae ratione habita. Immo vero ut breviora membra concinna ad unum corpus coniunguntur, quod alteri respondeat, ita maiores et maximae fabularum partes inter se aequabilitate excellunt etiam neglecta accuratiore arte. Quae exempla quamquam cum satis frequentia nobis occurrant sese ipsa tuentur ac defendunt, tamen si quod extrinsecus afferre licet testimonium non est minoris faciendum. De Varrone autem Donatus in extremo Hecyrae argumento (Ed. Westerhov. p. LXXXVI) haec nobis tradit: »Docet autem Varro neque in hac fabula neque in aliis esse mirandum, quod actus impares scenarum paginarumque sint numero, cum haec distributio in rerum descriptione, non in numero versuum sit constituta, non apud Latinos modo, sed etiam apud Graecos ipsos« [1]. Ac primo quidem

1) Cf. Fr. Ritschl, Schriftstellerei des M. Terentius Varro. Mus. Rhen. vol. VI. p. 418 s. — Quae similia in Adelphorum argumento exstant, ibidem allata sunt.

aspectu quid in constituendis fabularum partibus versuum valeat numerus, prorsus ignorantibus nobis locus videtur obscurior, quam unde aliquid eliciatur. At vero de distributione quadam secundum versuum numerum facta ita agi apparet, ut Varro alia ratione inita necessarium ducat exponi, cur suum, non illorum iudicium secutus sit. Quodsi iam inde colligendum est alteram sententiam non fuisse paucorum hominum aut desipientium, idem probatur Varronis argumentatione. Neque enim adversariorum opinionem ut futilem prorsus reiciendam esse docet, sed actus negat hac parilitate contineri, qui scenarum paginarumque numero impares sint apud ipsos Graecos. Quid igitur? Nonne inde sequitur, ut aliis in fabularum partibus numerus valuerit id est ut eiusmodi aequabilitas animadversa sit quae secundum numerorum rationem facta videretur? Atque ut hoc loco exemplum Sophocleum proferamus: quod Aiax moriendi consilio capto versus ad comites dicit quadraginta septem, quod nuntii mortem heroi imminere declarantis cum choro et Tecmessa colloquium duplici numero continetur, quod mortem sibi consciscentis altera oratio iterum versus complectitur quadraginta septem [1]), nonne fieri potuit ut haec distributio manifesto in sententiarum nexu posita partitionem quibusdam praeberet in solo versuum numero constitutam?

Nec vero tam hoc testimonio fretus, quam superioribus exemplis, quorum numerum facillime potui augere, iure meo nego tales compositiones poetae excidisse inscio, sed de industria esse elaboratas. Nam quod nescimus cur poeta tantum in illas conficiendas studium contulerit aut quomodo omnino eiusmodi aequabilitas ab eis qui audiverunt potuerit percipi, quomodo id potest obstare, quominus facta agnoscamus? Atque hoc certum est certis exemplis, illud

---

1) Ita apud Dindorfium legitur; in dialogo eiecto uno versu 812, in altera Aiacis oratione quatuor 839—42. — I) 646—92. II) 719—814 (uno deleto et verbis ἰοὺ ἰού 737 non numeratis. I) 815—65; qua ratione reliqui alterius orationis versus ab interpolationis suspicione videntur liberari.

incertum potissimum propter incertitudinem quantum in agendis fabulis ars valuerit musica. Fac igitur illo Heraclidarum loco, cuius partes certo distinguendae sunt: 12. 24. 12. 24 certos sonos, qui edebantur, dum Alcmena evocabatur, in feminae discessu altero tanto fortiores fuisse, eosdemque modos postea esse repetitos, nonne facillime et ad partes distinguendas et ad aequabilitatem admirandam unusquisque adductus est? Sed fateor huius quaestionis caliginem non melius me potuisse dispergere, quam viros doctissimos [1]), alterum vero quod responsionum fidei obicitur cur particulis tantum a poetis aequabilitas quasi aspersa sit, si non sustulisse, attamen comminuisse mihi videor. Neque enim modo maioribus sententiarum complexibus respectis intelleximus, quibus vinculis singula membra concinna constringerentur, verum ampliorum partium structuram artificiose factam saepius etiam tum vidimus, cum particularum concinnitas non illucescebat, ut in Hecubae prologo et Talthybii narratione ibidem, quem utrumque locum Hirzelius hac arte vacare iudicaverat. Neque aliter res se habet in posterioribus Euripidis fabulis, de quibus quamquam universum Hirzelii iudicium stat, interdum tamen amplior illa responsio invenitur, saepius videtur obscurata librorum aut lacunis aut interpolationibus. Atque quantum omnino vitia eiusmodi huic responsionum studio obstent et quam facile de sententia aequabilitatis deici possimus, uno loco Andr. 645—763 optime probabitur, quo priusquam ad poetae consummatam artem perspiciendam, positam illam in ter repetito ordine versuum tricenorum senorum, perveniremus, via quasi munienda erat trium criticorum iudiciis. Nec tamen perturbata ratio critica cognoscendis parilitatis legibus magis officit, quam nos his ipsis proficimus in criticis quaestionibus tractandis, id quod cum supra permultis locis intellectum erit, tum haud paucis mihi locis, animo ob turbatam responsionem acrius intento, contigit, ut et eosdem versus in suspicionem vocarem et eisdem fere de causis, quae vel damnandi vel eiciendi Nauckio et Kirchhoffio fuis-

1) Cf. Hirzel l. l. p. 91 Nake l. l. p. 521.

sent. Neque aequabilitas hanc solam praebet utilitatem sed cum ipsa poetarum arte ut artius cohaeret, ita iudicium de illa nostrum saepius corrigit. Quivis enim, ut opinor, miratur, quod poeta Orestam de hominum recte diiudicandorum difficultate loquentem facit per versus viginti et quatuor. Quid miri, ubi poetae consilium perspeximus Electrae orationi, quae rerum est copiosissima, verba Orestae adaequandi? Ac ne apud Sophoclem quidem possum non suspicari alteram illam Aiacis orationem, in qua extrema pars cuiusdam ieiunitatis crimine vix videatur posse liberari, paulo longius productam esse, ut studio aequabilitatis satisfieret.

Sed in haec omnia, imprimis vero in eam quaestionem, num maiores sententiarum complexus certis et constitutis finibus inclusi fuerint, ad quam quidem sententiam fere adducor, cum quatuor locis Euripideis vices in vicenis binis versibus et vicenis quinis positas deprehendisse mihi videar, accuratius erit inquirendum, neque despero quo inferiores sint vires, eo maiore studio aliquid in his rebus postero me tempore esse praestiturum.

Iulius Czwalina de vita sua.

Natus sum Gedani prid. Cal. April. a. h. s. XLIV patre Iulio, gymnasii Gedanensis professore, matre Emilia de gente Wittrin, cujus puero mihi ereptae memoriam non maiore prosequor pietate, quam gratiore animo sentio amorem alterius matris Henriettae de gente Marquardt. Fidem profiteor evangelicam. Literarum primordiis imbutus patriae urbis adii gymnasium, quod Engelhardtio directore ill. flore[illegible] Ibi cum optimis praeceptoribus usus lingu[illegible] veterum studium adamassem, philologiae ope[illegible] [illegible] verno tempore anni LXIII Gottingam m[illegible] [illegible]dque eo majore cum fructu, quod Curtius, Leutschius Sa[illegible]ius benignissime permiserunt, ut statim initio [illegible] m[illegible]arii, deinde seminarii sodalis extraordinarius et ordin[illegible] vires meas per biennium exercerem. Per quod tempus praeter hos tres homines doctissimos audivi prodocentes Benfeium, Lotzium, Ritterum, Waitzium. De[illegible]nde Bonnam migravi, ubi usque ad hoc temporis momentum sch[illegible]las frequentabam hominum doctissimorum: Bernaysii, Iahnii, Maurenbrecheri, Ritschelii, Sybelii, Useneri. Singulari autem Ottonis Iahn benevolentia factum est, ut inter seminarii philologici sodales ordinarios reciperer, quibus exer[illegible]tationibus per annum interfui egregia etiam Useneri disc[illegible]lina usus.

His viris omnibus optime de me meritis gratias ago, maximas vero Gottingensis seminarii rectoribus, Ottoni Iahn et Hermanno Usener Bonnensibus, qui benignissimi studiorum meorum fautores gratissima mihi memoria in perpetuum colendi sunt.

Sententiae controversae.

1) Aesch. Eum. 761 corrigendum videtur: *σώζει με μητρὸς τάςδε συνδίκους ὁρᾶν.*

2) Plato Theaet. 170 B in verbis: »*οὐκοῦν τὴν μὲν σοφίαν ἀληθῆ [διάνοιαν] ἡγοῦνται, τὴν δὲ ἀμαθίαν ψευδῆ δόξαν;*« glossam esse judico *διάνοιαν.*

3) Catull. LXIV, 148 emendandum est: »dicta nihil me*mi*-*n*ere, nihil perjuria curant.«

4) Cic. De Orat. II 212 inflammandum per dittographiam factum est ex inflandum: »et ex hac vi nonnu[illegible] quam animi aliquid infl*an*dum est illi [illegible]

5) Quae fabulae a Suida s. v. *Ἀπολλόδωρ*[illegible] tres: *Ἀκανθοπλήξ, Τεκνοκτόνος* . . . . [illegible] una sunt habendae; *Ἀκανθοπλήξ* enim idem [illegible] [illegible]*υσσεὺς Τεκνοκτόνος.*

6) Lusus duodecim scriptorum et ludus ab Ovidio descriptus (Ars. Amat. III. 363. Trist. II. 481) nihil inter se differunt.

7) Suetonius de Lucilio haec scripsit (Reifferscheid Suet. rel. Nr. 15) »C. Lucilius saturarum scriptor Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis *LX*VI,« qui numerus sic corruptus: *XL*VI in errorem de natali anno duxit Hieronymum.

8) Drama quod inscribitur *Χριστὸς Πάσχων* ad emendandas lectiones Euripideas minus etiam quam ex Nauckii sententia valet.

9) *Βελλεροφόντης* a veteribus recte derivatur a *ϝέλλερα,* si *ἔλλερα* (cf. vellera i. q. nubes), ad idem spectat, quo *αἰγίς* (*αἴξ*).